

## 1632

1. Adr: Magnus Benedicti Anethulander – Aut: Benedictus Baazius (Disputationes aliquot de philosophia in genere, I. De philosophiae definitione tam nominali quam reali. Quam /.../ sub praesidio /.../ Michaelis Johannis Savonii in Academia Regia Dorpatensi, /.../ publice discutiendam exhibet Magnus Benedicti Anethulander /.../ ad 3. Octobris /.../ - Dorpati Livonum, 1632: J. Pistorius).  
UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Ornatissimo ac Doctissimo*  
Dn. MAGNO BENEDICTI  
Thesium harum propugnatori indefesso.

*Non minima est virtus doctorum scripta legisse,  
Assidua et varios cura volvisse libellos.  
Quod cum Magne facis tibi laus sit, gloria summa;  
Laudandum studium frater Deus ipse secundet.*

Properante calamo apponebat  
BENEDICTVS BAAZIVS.

2. Adr: Magnus Benedicti Anethulander – Aut: Joh. Joh. Prynys (cf.1)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Cvm cupias sapiens et doctus Magne videri,  
Rite quidem Sophiae limina sacra colis:  
Perge, tuum tuto studium sic stare valebit  
Tecum, tuto tecum ire redire magis:  
5 *Perge, stude, suda, vigila, lege, scribe, labora;  
Frangere, placet tibi si nucleus, ipse nucem.*

In honorem Ornatiss. et Doctiss. Dn. Respondentis, fratris mei chariss. apposui  
Joh. Joh. Prijns W-G.

3. Adr: Magnus Benedicti Anethulander – Aut: Sveno Olai Scopulander (cf.1)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qveis dat laurigeros victoria laeta triumphos,  
Assolet his aetas prisca Brabea dare.  
Tu quoque vince, Sophῶν trutinans vestigia MAGNE  
Doctorum, ut pariter clara trophaea feras,  
5 *Nam tibi inexcelsa et praelustri Palladis arce,  
Culmina Musarum scandere cuncta licet.  
Perge igitur, laudo studium, Deus ipse secundet,  
Vt tua florifera tempora laude teras.**

Infrecati amoris ergo amico et consanguineo suo fidelissimo fraterne apposuit,  
SVENO OLAI Scopul.  
Vasb. Suecus

4. Adr: Magnus Benedicti Anethulander – Aut: Ericus Bergius (cf. 1)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvod veterum tractas doctorum, MAGNE, labores;  
Hinc te perpetuo gloria magna manet*

*MAGNVM ad virtutes habet haec tua gloria calcar;  
 Perge, tua atque olim gloria major erit,  
 5 Fide Deo, ut magnis MAIOR conatibus adsit;  
 Atque aderunt studiis maxima fata tuis.*

Moris, amoris ut et honoris ergo  
 deproperabat  
 Ericus Bergius S. Smaland

5. Adr: Magnus Benedicti Anethulander – Aut: Anonymus (cf. 1)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Eteostichon.*

Magne, patet VersV hoC, Dörptae, qVo VIXerIs anno.<sup>1</sup>

6. Adr: Nicolaus Laurentii Aritander – Aut: Petrus Andreae (Disputatio theologica, exhibens verum ΨΥΧΟΔΟΞΕΙΟΝ numerum: potissimum contra purgatorium pontificium directa: et /.../ proposita, in Regia Academia Dorpatensi: praeside Georgio Mancelio /.../ respondente Nicolao Laurentii /.../ a. d. 16. Novembr. /.../ - Dorpati Livonum, 1632: J. Pistorius).

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Humanissimo ac Doctissimo*

Domino Nicolao Laurenti

Nicopia-Sueco harum thesium, contra Purgatorium Pontificium directarum propugnatori solertissimo, fratri et contubernali meo perdilecto, Candoris et Amoris ergo haec paucula supposui.

*Non Epicure vafer, non Saducaee dolose,  
 Ethnica, quae struitis, somnia quidque valent.*

*Cum Elyseos campos, et purgatoria tetra  
 Fingitis, est animis fabula vana, piis.*

5 *Cedite et hinc cessate mali: tu docte Niclae  
 Gloria Musarum somnia tanta fuga.*

*Somnia vana fuga, doctorum exempla imitare,  
 Et calcato horum fortiter ipse theses.*

10 *Ponite nunc capita et cessate mali: Duce Christo  
 Tu Nicolae tuum tolle subinde caput,*

*Tolle caput, Christique pius vestigia serva,  
 Vt possis studiis invigilare sacris.*

15 *Hoc precor: et crescat semper sapientia sancta,  
 Et crescat pietas vera, precorque tibi.  
 Hinc dabitur quondam tibi post tua tempora vitae,  
 Arce in praeclsa viva corona poli.*

PETRVS ANDREAE Arbogia-Wesmannus, Suecus

7. Adr: Nicolaus Laurentii Aritander – Aut: Andreas Laurenus (cf. 6)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Laudantur multi, sed laus non omnibus una,  
 Sicut enim meruit, quisque brabaea feret.  
 Talia dum mecum sincero pectore volvo,

<sup>1</sup> Eteostichon annum 1632 exhibens

O magnum Aonium, tu Nicolae decus;  
 5 Inquo, dum fundis sacrum de fonte liquorem  
 Ingenium Genij, prodis et ipse tui.  
 Pergito sic sacros docte lustrare libellos,  
 Sic et eris celsi portio digna poli.

Fraterno amore allectus lubens ponebam  
 ANDREAS LAURENIUS S.

8. Adr: Benedictus Baazius – Aut: Zacharias Solthow (Disputatio psychologica prima de definitione animae in genere ad quam /.../ sub praesidio /.../ M. Henrici Oldenburgii, oratoriae et poeticae facultatis professoris in Academia Dorpatensis Regia, respondebit Benedictus Baazius philosoph. et theol. studiosus. Die ... mensis ... . Riga 1632: Gerhardus Schröder)

UUB (Coll. Palmiskiöld. 435:35)  
 GRATULATIO

Calculus hunc<sup>2</sup> candidum  
 Riga Dorpatum  
*Doctissimo ac humanissimo Juveni viro,*  
 Dn. BENEDICTO BAAZIO  
 Smolandia Sueco, fratri, amico ac populari suo sincere  
 colendo, de subtilitate animae docto disputationis  
 penicillo publice disserenti.

*Qualis honos, virtus, Baazi, quoque gloria quanta*  
*Nomina sit studiis docta parare suis*  
*Est clarum, mundi sed quae dementia cepit*  
*Illos qui temnunt, dulcia scripta σοφῶν.*  
 5 *Illi ipsi, magno tandem cum crimine cernent*  
*Dum corpus salvum curva Senecta premit*  
*Propterea Baazi divam celebrare Sophiam*  
*Ne cesses, magnus sic tibi crescet honos.*  
*Suadeo sic pergas inceptum tendere cursum*  
 10 *Ut sis lux patrii postea clara Soli.*  
*Haecce brevi mittam tibi carmina facta pagella*  
*Id pius in te me mittere jussit amor.*  
*Charta salutatrix, quamvis sit paupere vena*  
*Scripta, tamen grata suscipe mente, mea.*

Honoris, amoris, syncerique cordis  
 affectus contestandi ergo, mit-  
 tere voluit ac debuit  
 ZACHARIAS Solthow  
 Svecus.

9. Adr: Petrus Goetschenius – Aut: Andreas Virginus (Disputatio theologica de apostasia fidelium sive renatorum: qua invictis fundamentis asseritur, fideles sive renatos, moraliter peccando, posse excidere gratia Dei, amittere fidem, atque excutere Spiritum Sanctum: et contra Calvinianorum objectiones diluuntur. Quam /.../ praeside /.../ Andrea Virginio, /.../ pro licentia supremum in S.S. Theologia gradum consequendi, publice, in Academia Livonum, ad 2. d. Jan. anno /.../ MDCXXXIII. /.../ defendendam suscipiet /.../ Petrus Goetschenius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1632: J. Pistorius).

UUB, EAB, Riga LAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

<sup>2</sup> Textus corruptus, pagina antecedente custos *Calculus*, cui calamo verba *hunc candidum* addita sunt  
 U

Προσφωνήματα  
ad  
Reverendum et Clarissimum Virum,  
Dn. M. PETRUM  
GOETSCHENIVM,  
pro Licentia summum in SS. Theologia gra-  
dum consequendi disputantem, 2. d. Jan.  
anno aerae Christianae  
MDCXXXIII

*Cum de progressu studiorum inquirere mos sit,  
atque ornare gradu, qui meruere gradum:  
Tu vero ludi censuram ferre paratus,  
GOETSCHENI, ut doctum sit seges ampla virum;  
5 Hinc precor, ut Deus ex alto tua vota secundet,  
principium, medium, metaque JOVA siet.  
Nec sinat, ut Mavors, vel dirae injuria linguae  
dissipet hos caetus, in quibus ipsus adest.*

Scriptum honoris et favoris  
ergo ab  
ANDREA VIRGINIO  
SS. Theol. D. et P.

10. Adr: Petrus Goetschenius – Aut: Georgius Mancelius (cf. 9)

UUB, EAB, Riga LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Perge, velut pergis, *GOETSCHENI clare*, cathedram  
scandito; sit praesto gratia magna DEI,  
Vt teneram pubem, sanctum templumque *Jehovae*  
aedificare queas dotibus ingenii.  
5 Et Lojolitias (Sathanae genus) acer in armis  
stans, Calvum et pura voce ferito gregem.  
Sic *Christo* Duce, tu bene quinque talenta locabis:  
sic eris in *Jovae* magna columna domo.

amoris sinceri e. deprop.  
GEORGIVS MANCELIVS  
SS. Th. Licent. et Prof.

11. Adr: Petrus Goetschenius – Aut: Fridricus Menius (cf. 9)

UUB, EAB, Riga LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

In Licentiam Theologicam.

*An quicquid liceat, libet quod apte,  
Trita haec quaestio vexat eruditos:  
An quicquid libeat, licet quod apte  
Trita haec quaestio vexat eruditos.  
5 Verum, ut quaestio vexat eruditos,  
Sic responsio vexat eruditos.  
Ad natum genetricis illa spurcae,  
Quae, quicquid libet, id licere dixit.  
Ast sentire aliter Licentiatum,*

10 *Facto comprobat, et reapse praestat*  
*Hic: nam postquam aliis licere cernit,*  
*Ostensa satis eruditione,*  
*Duri carpere praemium laboris,*  
*Nunc tandem libet id, licet quod illis.*  
15 *Ne quaeras igitur, Licentiate,*  
*An fructum liceat tui laboris*  
*Jam tandem petere; ecce PETRE, multis*  
*Idem si licuit, tibi licebit.*  
*Quod restat, voveo; ratum sit opto;*  
20 *Multis da, Deus alme, adepto honorem*  
*Annis ut liceat Licentiate*  
*Fructu multiplici dein fruisci.*

FRID. MENIVS P. L. C.  
 Hist. et Antiq. Prof. Publ.

12. Adr: Petrus Goetschenius – Aut: Johannes Weideling (cf. 9)

UUB, EAB, Riga LAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

An sis electus? Staupitius ille Luthero:  
 A Christi cunis incipe, certus eris.  
 Adde fidem Christi verbis; electus in illo,  
 qui retinet Christi verba fidemque, manet.  
5 *Nec caro, nec Satanas possunt divellere talem*  
*a Christo; Christum qui tenet, omne tenet.*  
*Omne Deus; Deus in Christo; cui Christus in ore*  
*ac animo residet, regnat in hocce Deus*  
*Per sceptrum Verbi; Verbo ratione subacta*  
10 *ad finem Christi Spiritus huncce regit.*

M. JOHANNES Weideling  
 Erf. Orient. Ling. Prof. P.

13. Adr: Petrus Goetschenius – Aut: Johan Caspar Merclinus (cf. 9)

UUB, EAB, Riga LAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Monstrosum callens aenigma resolvere<sup>3</sup> Sphingis*  
*Oedipus haut saxo dejiciendus erat.*  
*Sed rudis arte datur facili molimine praeceps*  
*Davus et horrendo deperit interitu.*  
5 *Ingens finge mihi, torvum, cui lumen ademptum*  
*De CALVO monstrum nomine finge mihi!*  
*Gordion ancipiti ceu nodum dissecat ense*  
*Vt capiat Macedo Persidos imperium;*  
*Marchica Germanis Ratenovia mittit ab oris,*  
10 *Vt non Marte, tamen, qui valet arte, virum:*  
*Qui valet arte virum, CONCRETOS rumpere nexus*  
*Serpentis CALVI, qui valet arte Virum.*  
*Ergo, LICET, cingas diademate tempora, PETRE*  
*GOETSCHENI, valida dum rapis arma manu.*  
15 *Dum rapis auspicio victricia Pallados arma,*

<sup>3</sup> Textus corruptus U R T : *resolvere corr*

*Felici pugnans sidere victor abi.*

προσφωνησόμενος  
Johan Caspar Merclinus  
Poëta Caesareus.

14. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Jacobus Skytte (Disputatio solennis de justificatione hominis peccatoris poenitentis coram Deo: quam /.../ in Regia Dorpatensi quae /.../ Livonum Academia est, praeside /.../ Andrea Virginio /.../ pro summo in theologia gradu consequendo publicae disquisitioni et censurae subjicit Georgius Mancelius, /.../ a. d. 19. Decembr. /.../ - Dorpati Livonorum, 1632: J. Pistorius)

UUB, H, EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ANAPAESTICVM PINDARICVM  
MANCELIANO HONORI NVNCVPATVM

*Artes nutrit honor, sapientum  
Est scitum, hinc magnanimos perhibent  
Romulidas virtuti et honori,  
Juxta et iunctim, forma et facie  
5 Quondam templa locasse gemella.  
Quippe ad celsi culmina honoris  
Non iri tramite legitimo  
Nisi per virtutem atque labores,  
Virtutique adstare vicissim  
10 Semper honorem dignum comitem  
Pulcre et recte significabant.  
Is namque est genius virtutis,  
Vt, licet ipsa sibi sit precium  
Amplum, solaque late niteat  
15 Fortunaē secūra; usque tamen  
Blande, ut amasius ultro, invitam  
Sequitur, vestigat, et ambit honor:  
Atque ut virtutem placidam; sic  
Ambit honor virtutis amantes.  
20 Sta tandem, sta docte GEORGI  
MANCELLI, cara Dei cura!  
Digno haud perpetuo fugiendus  
En persequitur, vocat, urget honor  
Jam longe meritum te amplectere  
25 Tandem, ito obviam et accipe sarta  
Tibi nexa manu divae Vranies  
Pridem confecta et nexa tibi.  
Sed quid agas video, haud contentus  
Tibi te dignum esse, cupis mundo  
30 Cunctisque bonis ut te comprobes,  
Nil proprio tribuens iudicio.  
Consilium veneror! moderamen  
Laudo! tu studiosa iuventus  
Oculos adverte, erige mentem,  
35 Res dignas, quas imiteris, habes,  
Doctrinam, insignemque modestiam.  
Hoc age! honore beata vigebis.*

IACOBVS SKYTTE,  
Baro Suecus, et Regiae Dorpaten-  
sis Academiae Rector.

15. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Andreas Virginius (cf. 14)

UUB, H, EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Sentio, quod dico, MANCELI, *Vir Reverende,*  
*Ornes, quam Spartam nactus, ut usque tuam.*  
Clarus nunc audis DOCTOR, VERBIque MINISTER,  
Fungaris fide munere utroque, vide.  
5 Coelica sic capies aeternae munera vitae,  
Et dabitur capiti pulchra corona tuo.  
Quod fiat, fiat, voveo de pectore toto:  
O DEUS; huic voto pondus inesse iube.

Honoris et amicitiae ergo  
faciebat  
Andreas Virginius  
SS. Theol. D. et P.

16. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Johannes Weideling (cf. 14)

UUB, H, EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Gratia *justificat peccati crimine mersos:*  
*Gratia at in IESV percipienda fide.*  
*Efficit hanc Verbum Vatum IESVque Ministrum,*  
*Qui cupit hanc, IESU verba sequatur, amet.*  
5 *Ex scripto monstrat Verbo MANCELIVS illam;*  
*In Verbo totus, qui requiescit, habet.*  
*Cunctos Cristicolae possunt pessundare Verbo*  
*Photini socios Papicolasque simul.*  
*Ad quid Aristotelis delira sophismata? Justos*  
10 *Dat Verbum JESVS, Gratia, sola fides.*  
*Spiritus obsignat Verbo, dein justificatus*  
*Esto tenax justis zelotypusque boni.*  
*Gratia persuadet; Verbum jubet, urget IESVS;*  
*Spiritus atque fides perficit omne bonum.*  
15 *Gratia cum reliquis praecedunt justificandum;*  
*Omne bonum semper justificatus agit.*  
2.Pet.2. *Ergo Papa; sues Epicuri de grege cedant:*  
*Gratia Justificat; Gratia purificat.*  
*Papa fremat, rugiatque Leo ranaeque coaxent:*  
20 *Gratia justificat: Gratia purificat.*

M. JOHANNES Weideling  
Orient. Ling. Prof. P.

17. Adr: Jacob Scytte – Aut: Georgius Lilia [Stiernhielm] (Iacobi Skytte dissertatio de rebuspublicis.  
Academicae disquisitioni subiecta, respondente Benedicto Baazio, Dorpati, XVII. Kalend. Octob. –  
Dorpati Livonorum, 1632: J. Pistorius)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

GEORGII LILIAE

ADSESSORIS REGII  
 EPIGRAMMA  
 IN  
 IACOBI SKYTTE <sup>4</sup>  
 BARONIS SVECI  
 DISSERTATIONEM.

O Sueciam beatam!  
 Hoc seculo, hisque fatis  
 Ter, et quater beatam!  
 Quae marte celsa, et arte  
 5 Flores, vales, vigesque.  
 Cum marte certat artis  
 Studium, tuos alumnos  
 Decorare, et erudire.  
 En fata versa! nostram,  
 10 O Suece, Teutho, Gallus,  
 Italus, feroxque Iberus  
 Risere barbaram, olim,  
 Probitatem, et innocentem  
 Ineruditionem.  
 15 Et simplicem vocari  
 Suecum, probro putarunt.  
 Contra (vicissitudo  
 Miranda!) Teutho, Gallus,  
 Italus, feroxque Iberus  
 20 Et universus Orbis  
 Hodie vident, stupentque  
 Decorem, elegantiamque,  
 Martem, tuasque Musas,  
 Gens Sueca, gens polita,  
 25 Venerantur, et verentur.  
 Ast haec vicissitudo  
 Tanta, unde? nempe cui dat  
 Populo Ducem probum Deus,  
 Is affluet beatus  
 30 Omni beatitate.  
 GUSTAVUS, altus, heros  
 Augustus, inclutusque,  
 Sapiens, pius, triumphans,  
 Virtute, marte, et arte  
 35 Pollens, potens, decorus.  
 Hic est, hic est, beatam  
 Qui praestat, ac vigentem  
 Gentem suam, suarum.  
 Splendore gratiarum.

<sup>4</sup> Cf. Samlade skrifter av Georg Stiernhielm. Utgivna av Johan Nordström och Bernt Olsson. In: Svenska Författare utgivna av Svenska vitterhetssamfundet VIII. Första delen, andra bandet, fjärde häftet. Lund: Bloms Boktryckeri AB 1987, Editio 168-170, Commentarium 587-589.



40 Splendore tactus isto  
 Mentis bonae sacerdos  
 IACOBVS hicce SKYTTTE,  
 Illustris, hic, parentis  
 Columen, decus, propago,  
 45 Stirpique par imago.  
 Generosus hicce, qui vix  
 Egressus ex ephebis,  
 Aetate quippe prima,  
 Par est, laboriosa et  
 50 Longa viris politis  
 Arte; antecellet omnes  
 et Marte<sup>5</sup> et arte pollens,  
 Aetate grandiore.  
 Sic cogit ominari  
 55 Praesens opus, labore  
 Sane improbo, sed ipsi  
 Brachio levi peractum, in-  
 genio igneo, stupendo  
 Genio. Sed unde tantam  
 60 Valentiam tibi, et vim,  
 IACOBÈ chare, dicam,  
 An coelitus profectam?  
 Pol, coelitus profectam, et  
 Quod amplius notandum:  
 65 Stimulo ingemiscit altus  
 Genius tuus, IACOBÈ  
 Gemino; alter, Rex, et alter,  
 Patris est perennatura  
 Ex eruditione.  
 70 Laus. Sic IACOBÈ perge,  
 Et par eris parenti,  
 Rerum universitati  
 Clarus, simulque charus  
 Regi incluto corusces.  
 75 Tu Sueciae juvenus  
 Generosa nostri inhaere  
 Vestigiis IACOBI, et  
 Cur voce laetus alta  
 Geminem hoc solenne habebo:  
 80 O Sueciam beatam!  
 Hoc seculo, hisque fatis  
 Ter et quarter beatam!

18. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Georgius Mancelius (Disputatio II. de personali duarum in Christo naturarum unione. Quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ sub praesidio Andreae Virginii, /.../ publice discutiendam proponit Petrus Turdinus /.../ Ventilata /.../ ad diem < > 1632. – Dorpati Livonum, 1632: J.Pistorius)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

<sup>5</sup> *Marte* U S : *et Marte* Nordström & Ohlsson

*Pie docto et docte pio*  
Dn. RESPONDENTI.

Ἐργα νεῶν nosti quae sint, *doctissime PETRE*,  
gnaviter hinc saxum volvis utraque manu.  
Nempe *animi nescit mutare iuventa vigorem*:  
NEC CADAT IN MENTEM TANTA RUINA TUAM!  
5 Macte nova virtute, sacro invigilato labori,  
jam dudum tibi sunt praemia parta polo.

ὡς τάχιστα ἐσχεδίασε  
GEORGIUS MANCELIVS  
SS. Theol. Prof. ord. ad D. Joh. Pastor,  
districtusque Dorpat. Praepositus

19. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Jacobus Langstadius (cf. 18)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Anagrammatismum*  
Petrus Johannes Turdinus Bothnius  
*H duobus in I mutatis.*  
Sit in virtute bonus si in arte bonus.<sup>6</sup>

*Is bonus arte satis, quem concitat aemula virtus,*  
*Enthea nam virtus perficit arte satis.*  
*Instruit arte quidem, sed quos virtutis amantes*  
*Artes et ingenuae quos pia Musa tenet,*  
5 *Sed labor ac opus est, paucis, quos Phoebus amavit,*  
*Contigit, ut vere sint in utraque boni.*  
*Vere in utraque bonum te cum, TVRDINE, coronat*  
*Virga Sophia poli, virgo Sophia soli.*  
*IN VIRTUTE BONVS maneat et IN ARTE BONVS SIS*  
10 *Sic tibi conveniet nomen et omen idem.*

Honoris et amoris ergo adponebat  
JACOBUS LANGSTADIUS Erff. Thuring.

20. Adr: Georgius M. Zethaerus – Aut: Georgius Mancelius (Disputatio II. de philosophia in genere quae est de arte, eiusque natura, cui analogus tractatus est peripateticorum de quinque habitibus intellectualibus ex 6. Ethicorum desumptus, quem Alstedius sub titulo de Hexilogia persequitur. Quam /.../ in Academia Regia Dorpatensi gubernacula tenente /.../ Michaele Johan. Savonio /.../ publice ventilandam proponit Georgius M. Zethraeus /.../ ad. 1. Decembris /.../ - Dorpati Livonum, 1632: J.Pistorius)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ornatiss. Dn. RESPONDENTI.

*Praeceptore probo nihil est praestantius unquam,*  
*discipulos vera qui probitate docet.*  
*Sic studio docet hęc pubem SAVONIVS omni,*  
*Stant ubi Dorptensis docta Lycaea scholae,*  
5 *Auribus attentis ergo hunc audito GEORGI,*

<sup>6</sup> Anagramma non recte constructum

*DOCTORI reddens praemia digna tuo  
Perge et Pierias (nam te decet) ire per artes,  
nominis in laudem cedet id usque tui.*

ĕv ĕv f.  
GEORGIUS MANCELIUS  
SS. Theol. in Acad. Dorp.  
Prof. Ord.

### 1633

1. Adr: Benedictus Baazius – Aut: Fridericus Menius (Dissertatio philosophica, de principiis corporum naturalium intrinsicis. Quam /.../ praeside Benedicto Baazio, in Regia Livonum Academia, /.../ publice /.../ defendendam suscipit Ericus Bergius /.../ ad diem 29. Junii 1633 /.../ - Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius) UUB, SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo DN. praesidi de primis Corporum naturalium  
principiis disserenti.*

Hic est naturae processus, ut ordine fiant  
Ex surculo frons, flos, pomum,  
Est quoque naturae atque artis processus, ut ante  
discat, docere qui cupit.  
5 Id satis atque super Baazi cum feceris ante,  
Praestare et hoc poteris quidem.  
Tu Montane basi hac benedicta innitere tuto,  
Erisque tutus ipsemet;  
Qua nisus tuto te siste atque objice montem  
10 Pugnae atque telis hostium.  
Sic vestrum felix nomen, sic magnus uterque  
Erit, nec esse desinet.

benevolentiae ergo adijcere voluit  
FRIDERICVS MENIVS P. L. C.  
Hist. et Antiq. P. P.

2. Adr: Benedictus Baazius – Aut: Petrus Andreae (cf. 1)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Tricol. Alcaicum.

*En denegat natura comis cana,  
Vt fiat unquam de nihilo vicens  
Quoddam, suum quodvis creatum,  
principium tenet atque poscit.  
5 Hinc rite naturalia quaelibet,  
Primordium, causamque venarier  
Suam, quis est qui denegabit?  
Principijs generata constant.  
Vnum tamen stat principium prius,  
10 Est id DEus, solus, bonus, unicus,  
Potente qui virtute cuncta,  
Ex nihilo sapiens creavit:  
Natura, vt ergo haec omnia, quae facit,*

- 15 *Defende Bazi; principium prius*  
*Vt unicum tuto reportes,*  
*Quod Deus est hominum creator.*

Eteostichon.

*Complectens Annum, Mensem, Diem, Locum et Personam:*

VIGIntI nonos VbI SoL IVnI eDeret ortVs,  
 PraesIDeat Dorptae BazIVs arte soLers.<sup>7</sup>

fraterni amoris Vinculo lubens  
 supposuit

M. PETRUS ANDREAE Arbog.

3. Adr: Benedictus Baazius – Aut: Andreas Virginius (Carmina gratulatoria virtuti et honori Dn. Benedicti Baazii Sveci cum in /.../ Regia Livonum, quae est Dorpati, Academia /.../ Decano facultatis philosophicae /.../ Michaele Savonio log. et ethices professore publico, summi gradus in philosophia titulis ornaretur die 4. Martii anno 1633. Ab amicis scripta. – Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Fortunis gaudere novis, et honore BONORVM,  
 votaue pro doctis publica ferre, pium est.  
 Ergo animi nostri tibi signa placere, Deoque  
 grata fore, ex calida sunt quia mente, puto.  
 5 Viva habitet sub te CHRISTVS sapientia PATRIS;  
 hic *Benedictus* sis: sis *Benedictus* ibi.  
 Caetera sunt mundi: et mundo pereunte peribunt:  
 Prosit honos pura et mente timeto Deum.

Honoris et benevolentiae ergo  
 I. mque f.  
 Andreas Virginius SS. Theol.  
 D. et Profess. primarius

4. Adr: Benedictus Baazius – Aut: Henricus Oldenburgius (cf. 3)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Corpus umbrosam veluti relinquit*  
*Solis a claro nebulam nitore;*  
*Illius quamvis modulumprehendit*  
*Acer ocellus.*  
 5 *Et velut nemo poterit notare*  
*Quamvis advertet, studioque servet,*  
*Laeta ut in campis riguis per imbrem*  
*Gramina surgant.*  
 10 *Sic quoque immenso studio excolentes*  
*Seduloque ac assiduo labore,*  
*Vnica fructum haud facileprehendunt*  
*Jugiter hora.*  
*Namque longorum precio laborum*  
*Artium insignes habitus parantur,*

<sup>7</sup> Eteostichon annum 1633 exhibens

15 *Et solum claris studio ac labore*  
*Dantur honores.*  
*Tu quidem maestus studiorum iniqua*  
*Saepe conquestus tibi, mole pressus.*  
*Te tuo nullum vigili ex labore*  
20 *Carpere fructum.*  
*Jam vides tandem tacito quid aevo*  
*Ex fatigato veniat labore,*  
*Ultima tandem quid honorum ab illo*  
*Pullulet hora.*  
25 *Gaudio laetus tua corda pleno*  
*Recrea, fructus merito petitos*  
*Rite cognosces, bene conferendo*  
*Ultima primis.*  
*Gratulor vota haec tibi laeta jungent,*  
30 *Vtque felices tibi sint humores*  
*Opto, quod faxit superi benignus*  
*Rector Olympi.*

Honoris et amoris ergo  
conscriptum a  
M. Henrico Oldenburgio  
Oratoriae et Poëticae facultatis  
Professore publico

5. ADR: Benedictus Baazius – AUT: Petrus Turdinus (cf. 3)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Nox erat et coelo fulgebat luna sereno  
Inter minora sydera:  
Qua tu perbelle rimatus flumina sacra,  
Bazi, labore Palladis.  
5 Hinc nec diva tibi mortalia munera Juno  
Dabit, vel alma Cypria:  
Vivae sed potius Pallas diademate Lauri  
Ligabit ambo tempora.  
Hunc Deus in coelis fortunet ab axe conatum,  
10 Tangas ut alta sydera.  
Semina millicuplos charitum quoque sparsa Lyceo  
Fructus per almo proferant.  
Hocce meum votum confirmet et augeat ipse  
Trinus Deus ter maximus.

PETRUS TURDINUS

6. ADR: Benedictus Baazius – AUT: Nicolaus Olai (cf. 3)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Pomposis sponsus sibi sumptibus eligit almam*  
*Sponsam, qua seros transigat ille dies.*  
*Sponsam blandidulis sponsus seclusit in ulnis,*  
*Vt liciti videat pignora pulchra tori.*  
5 *Sic non permagno sine sumptu, nec sine nisu*  
*Nympham multijugo, jungis honore tibi,*

*Pallada delegeras prae multis omnibus unam,  
 Hacce diu vigeas, haec tua sponsa manet  
 Hanc niveo Baazi fers in gremio, pie, nympham,  
 10 Virtutis videas pignora pulchra tuae.  
 Perge tuam Baazi costam venerarier unam  
 Haec tibi, quae mavis, dona venusta dabit.*

NICOLAVS OLAI Calmar.

7. Adr: Benedictus Baazius – Aut: Ioannes Raulinius (cf. 3)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Virtutis ille sudor,  
 diaeque mentis ardor,  
 in artibusque fervor  
 augustus usque suavem  
 5 honoris exit arcem,  
 salutis intrat axem.  
 Cur sunt ii beati,  
 a candidis amati,  
 10 ipsis diisque grati,  
 qui Palladem decenter  
 colunt, eam verentur,  
 vivuntque continenter.  
 Hos inter unus omnes  
 15 virtutis ecce laudes  
 sectatus est perennes,  
 Vir moribus modestus,  
 et arte vir venustus,  
 vitaque vir honestus  
 nunc BAAZIVS! Minervae  
 20 sublimis ac serенаe,  
 subtilis ac amoenae,  
 qui munus obtinebit.  
 MAGISTER hinc vigebit.  
 Cohors venito vatum  
 25 divina, funde votum,  
 carmen canendo charum.  
 Beeris, augearis  
 virtute, proveharis  
 Lauro, rosa feraris.  
 30 Nobis, Deo, juventae,  
 ut sint tuae camaenae  
 nostrae vovent avenae:  
 Nos te virum canamus,  
 Deus tibi sit almus,  
 35 et te colat juventus.*

Precatio D. Baazii pro Magisterio

Messia, merces mea, mens, meritumve, merumque  
 Mel, maestis, membris mira medulla meis.

Mordacis, malim, morsus, moderere, Megaerae,  
 Morbifico medica, mi, medeare manu,  
 40 Myriades multasque meum, mi mitte malorum,  
 Mecoenas, monitis morigerus maneam.  
 Mi mediis, merso, morbis medicina manebis,  
 mente mea mediter mune<r>a magna magis.  
 Musarum modo mellite melina Magistrum  
 45 me modulans memoret mirifica methodo.  
 Mundipotens, molem minuas mihi, magne, Magistro  
 Maturo, mentis, mi, miserescere meae.  
 Multigenisque modis munito, Magne, Minervam  
 magnanimo modicam Marte, Monarcha, meam.

## Votum

50 *Te Deus arte gravem Calabaeos servet in annos,  
 Funera post vireas detque suprema Deus.  
 Sis felix BAAZI, quo vix felicius alter,  
 Lucida quo Patrij gemma vocere soli.  
 Pieridum claro clarus fulgebis in horto,  
 55 Hic, et in ignicomio sidere dona feres.*

Debiti honoris ergo fudit  
 Ioannes Raulinius

8. ADR: Benedictus Baazius – Aut: Christophorus Füreccherus (cf. 3)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Fit, queritur Bacchus, nostris injuria festis,  
 Dum peragit ritus docta Camaena sacros.  
 Sed, quorum Christi mentes *Amor* occupat ardens,  
 Bacche, queunt festos haud celebrare tuos.  
 5 Quisquis enim Christi quid agat succensus *amore*,  
 Hoc actum absurde nemo probare valet.  
 Hunc ubi, mi Benedicte, animo persentis, honorem  
 Solius in Iovae fac quoque vergat opus.  
*Philosophum* te *divinum* sic esse fatebor,  
 10 Quamque Sophista mihi major ut omnis eris.

Honoris e. f.  
 Christophorus Füreccherus  
 Semgal.

9. ADR: Benedictus Baazius – Aut: Ericus Bergius (cf. 3)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Fonte Caballino cum non mea labra rigarim:  
 Deficit hic carmen, quo tibi digna canam.  
 Vt noris, BAZI, junctim requievimus ambo,  
 Iure sodalitiis sic mihi junctus eras.  
 5 Non potui, duxique nefas desistere caeptis,  
 Cum subeant Musae pectora saepe tuae.  
 Te Sophiae studium, semper sub nocte silenti,*

10 *Artibus assiduis, sollicitare solet.  
Indolis eximiae juvenis sic lacte thaliae  
Imbutus, docti nomen et omen habes.*

*ETEOSTICHON.*

*Annum, diem, Mensem, Locum et personam complectens.*

PVrpVreIs sertIs, BAZI, MartI tIbI qVarto,  
DorpatI, egregIVs, ConferebatVr honos.<sup>8</sup>

Moris et amoris ergo deproperabat  
ERICVS BERGIVS Smal.

10. Adr: Benedictus Baazius – Aut: Olaus Jonae Chrisnerus (cf. 3)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Nunc florent Musae, cultori praemia digna  
Dant, quod perdoctus BAAZIVS ipse docet.  
Virtutum vario dotatus munere, laurum  
Namque Magisterii, nomen et omen habet.  
5 Accipe parva, datus titulus tibi prosit honori,  
Hoc studium et sudor promeruere decus.  
Ut vigeat vireat nomen per Nestoris annos,  
Hoc vere Dominum, pectore et ore precor.

Non tam moris quam honoris et piaie  
congratulationis ergo fautoris suo cer-  
tissimo tenui modulamine officiose  
cecinit  
Olaus Jonae Chrisnerus  
S. Smal.

11. Adr: Petrus Goetschenius – Aut: Johannes Caspari Merclinus (Χριστογνώσις, carmine Graeco descripta, et publice, cum ad professionem Graecarum literarum obeundam introduceretur, in Athenaeo majori, quod est Dorpati Livonum, mense Septembri, anno aerae salutiferae 1632. pronunciata, a Petro Goetschenio, SS. Theologiae licentiato. – <Dorpati>, 27.3.1633: J.Pistorius) EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Gratius ex ipso si quando dulcia fonte  
Quam fluvii bibimus Nympharum munera sicci;  
Graeca jubet merito Venusinus carmina Vates  
Assidua Musis cura miscere Latinis.  
5 Quicquid enim doctus Romanae gentis acervus  
Laude canit dignum, Marti debetur Achivo.  
Ex hoc rite Pater Vatum celebratur Homerus,  
Splendida quod Latiae sua proelia commodat arti.  
Non igitur vanam, GOETSCHENI, sumis opellam,  
10 Occultas monstrans Graecorum dogmate Syrtes.  
Vt tibi proficuum, tenerisque receperis usum  
Pieridum famulis, sinceris expeto votis.*

Johan. Caspar. Merclinus,  
P. L.

<sup>8</sup> Eteostichon annum 1633 exhibens



12. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Andreas Virginius (Academicorum Dorpatensium poemata in excessum Gustavi Adolphi Suecorum, Gothorum, Finno- rum, Lapporum, Ingeniorum et Careliorum regis desideratissimi fusa. – Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius) UUB, SKB, H, [Tartu UB] EPICEDIUM

REX pius occubuit vi mortis fractus et armis,  
 Nuper ad innumeros cui vis infracta triumphos.  
 Heu quid fata parant: rarescunt stemmata Regum,  
 Et migrant sensim bello vel morte perempti  
 5 Heröes magni, queis canicies prope nulla,  
 Roboris at multum fuit: et quot tempore parvo  
 Augusti cecidere viri? dic inclyte Teuto,  
 Dic Sveo: num sentis tua vulnera? sunt tria certe:  
 Tu peteris: luge, o quantum potes: occidit eheu  
 10 Rex tuus: o Teuto luge, multum Sveo luge:  
 Viveret o si Rex, et tu felicior esses.  
 Ast quid fles multum? cecidit mortalis, ut esset  
 In coelis vitae consors, lucisque perennis:  
 Agnoscit fusi Christus monumenta cruoris,  
 15 Martyriique dedit Regi pulcherrima sarta.  
 Nos memores urnae carmen scribemus, ut omnes  
 Praetereundo legant, suspirent atque legendo:  
 IN TVMVLO AVGVSTO HOC RECVBAT FORTISSIMVS HEROS  
 REX SVEONVM BELLO PERIIT GVSTAVVS ADOLPHVS,  
 20 QVEM SORS MORTALEM, QVEM FECIT FAMA PERENNEM,  
 QVEMQVE FIDES CHRISTI FELICEM FECIT IN AEVVM.

Andreas Virginius Nobilis  
 Pomeranus, SS. Th. D. et Prof. primarius

13. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Georgius Mancelius (cf. 12) UUB, SKB, H, [Tartu UB] EPICEDIUM

*Non jactura rei, quae facta in PRINCIPE tanto est,  
 sarciri facili conditione potest.  
 Morte sua invasit dolor arces, oppida, et agros,  
 Solem de coelo quod cecidisse putent.  
 5 Nam pius, et clemens, fortis, moderatus et aequus,  
 totius Europae fama decusque fuit.  
 In quovis genere artis fovit, et ordine claros,  
 emeritosque piae cum stipis auxit ope.  
 Tum fora constituit, censores unde vocatis  
 10 responsa in medium partibus aequa darent.  
 Erexitque scholas (DORPAT testatur abunde)  
 posteritas fidei ut semina pulchra trahat.  
 Et cum res patriae sic ferrent, jura probarent,  
 atque salus populi posceret; arma tulit.  
 15 Cuncta opera ad CHRISTI retulit solius honorem,  
 laude DEUM extollens, crebraque vota ferens.  
 Dum servit populis GUSTAVUS et omnibus usu est,  
 attrivit vitae robora clara suae.  
 20 Inclyta tam clarum amisit quod Suecia pignus,  
 non turpe est luctus nos dare signa pii.*

*Debuimus vivo censum, ornamenta, precesque  
nunc opus est cineri debita justa dari.  
O lux Europae quondam clarissima, salve:  
25 nunc desiderium res paritura, vale.  
O et virtutis variae flos inclyte, salve:  
o fidei adsertor qui solis astra, vale.  
O salve Sueonum decus, ac exemplar honesti,  
o iterum salve REX, iterumque vale.*

Georgius Mancelius  
Th. Licent. et Prof.

14. Adr: Gustavus Adolphus –Aut: Fridericus Menius (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
EPICIDIUM

### LESSUS

Accede nunc, qui vatibus suis<sup>9</sup> raptus,  
fatidicumque spiritum negatum isti;  
accede nunc et denega bonis verum  
usquam Poëtis, qui brevi admodum puncto  
5 fieri putant sperata seculis nullis:  
crudele o veriverbium, nimis verum  
nobis, nimisque verum et orbis arctoi  
totius incolis, meae nimis verum  
patriae! nimis verum piae at labascenti  
10 Ecclesiae! reique publicae nostrae!  
crudele o veriverbium, nimis verum!  
quidni? cadit sceptrum, corona, spes, fulcrum;  
non Suetici, non Gothici quidem regni  
solum, sed et Germanicae meae terrae;  
15 nec id quidem solummodo, simulque orbis  
socii universi, et singuli simul Christi  
qui confitetur Evangelii pium nomen:  
crudele o veriverbium, nimis verum!  
accede curve Chessine et vagabunde,  
20 strepens Turunte, tu bимемbris et Rubo,  
bimarisque Crono, Vandale, atque Buctalle,  
tu vivide atque piscifer, mitis Sueve,  
Chaluse, Spraea, Havele, flexuose Albis,  
Rhenno, Danubioque quicquid est mixtum,  
25 finitimumve Anisio et rubro Lecco,  
nuperrime cruore patrio claro,  
adeste mi, testemini mihi verum:  
crudele veriverbium nimis verum!  
praescripta toto seculo accidunt puncto,  
30 Citius cito qui turbine et levi vento  
vos occupavit, hostibus sed ejectis;  
qui dulcem ubique reddidit libertatem,  
bello brevi pacem redemit, et longam,

<sup>9</sup> suos S : suis corr

35        vestrae saluti sanguinem suum fudit,  
           cujus genu frequenter hinc adoravit  
           non vana supplicum manus, sed Heroum,  
           qui parcere et punire scivit, et juste,  
           prodesse plurimis, nocere sed paucis,  
           amor boni cujusvis, et mali terror,  
 40        Gustavus ille augustus, ille Adolphus Rex,  
           virtute nominis aemulatus hic omen,  
           auxit suos, dilexit et velut frater,  
           deponeret nunquam licet patris munus:  
           id quod fuit, jam desiit bonis esse,  
 45        id quod fuit, jam desiit malis esse;  
           amor boni cujusvis et mali terror,  
           defunctus est, extinctus est, nec id pridem:  
           imploro vos, appello vos, meae nymphae,  
           plorate, ut ostio caretis et fonte:  
 50        deserta littora Aeolus cito rumpat,  
           ponti ille mittat arbiter suas undas,  
           ut flere possint undique aridae terrae;  
           quidni, cadit sceptrum, corona, spes, fulcrum;  
           amor boni cujusvis et mali terror  
 55        Gustavus ille augustus, ille Adolphus Rex  
           defunctus est, extinctus est, nec id pridem:  
           adeste mi, testemini mihi verum,  
           crudele veriverbium, nimio verum!  
           Proscripta toto seculo, accidunt puncto:  
 60        Nostrum cadit sceptrum, corona, spes fulcrum  
           Amor boni cujusvis et mali terror,  
           Gustavus ille Augustus, ille Adolphus Rex  
           extinctus est, defunctus est, nec id pridem:  
           eheu, vide miserabilem nimis stragem!  
 65        victoriam cruentam, et hinc nimis caram!  
           maledictus ille, qui edidit malam hanc stragem:  
           tantum bonum, totum bonum auferens nobis,  
           hominem exuit, brutum induit, pecus durum,  
           monstrum malum ditis, cyclopicum monstrum,  
 70        non foemina, sed tygride horrida natum,  
           dignum charonte, et cerbero, truci dignum  
           Promethei corvo, et quibusque tormentis  
           exponier; nec hinc modus, nec hinc finis  
           unquam siet, non rumpat Atropos filum;  
 75        ut desinit, denuo integretur hinc poena,  
           hunc laevus atris angelus premat diris:  
           jugum ferat ferocium tyrannorum;  
           reus citetur; exeatque damnatus;  
           oratione facta diluet quando,  
 80        iudex tamen magis magisque acerbetur;  
           aevi ante metas funeretur, ut laudis  
           locum alter auferat, licet sit indignus;

sit orba proles, et solatiis uxor  
 defecta conjugalibus: siet victus  
 85 numerosa proles indiga, exulet soepe;  
 bona foenerator exigat; diu multis  
 laboribus quaesita carpat externus  
 haeres, cadat propago tota; sic semper  
 ultoris ante numinis gravem vultum  
 90 minimum siet parentis usque peccatum:  
 terrae hunc silescent, ipsi eat comes dira et  
 amara detestatio, inde felices  
 ei, absit, unquam a numine esse progressus:  
 maledictio illum vestis instar oblongae  
 95 circumdet atque vestiat; repat dira  
 maledictio in praecordia ut solet siccas  
 hausta unda permeare venulas crebro,  
 genio malo cujus, mala manu cujus  
 nostrum cadit sceptrum, corona, spes, fulcrum,  
 100 amor boni cujusvis, et mali terror,  
 Gustavus ille augustus, ille Adolphus Rex,  
 eheu vide miserabilem nimis stragem!  
 maledictus ille qui edidit malam hanc stragem:  
 monstrum malum ditis, cyclopicum monstrum:  
 105 non faemina, sed tygride horrida natum!  
 dignum charonte; et cerbero truci dignum.

Phoenix seu Consolatio.

Eheu! vide miserabilem nimis stragem!  
 nostrum cadit sceptrum, corona, spes, fulcrum  
 amor boni cujusvis et mali terror  
 110 Gustavus ille augustus, ille Adolphus Rex  
 defunctus est, extinctus est, nec id pridem;  
 defunctus est, defunctus est, sed extinctus  
 non est tamen; Phoenicis id mihi exemplum  
 testatur, ille quamvis excidat vita,  
 115 tamen resurgit duplici ecce virtute et  
 vigore fortitudinis suae mirae,  
 ut fortior robustiorque sit quam ante.  
 Sic noster hic Phoenix resurget, et statim,  
 ut vindicet necem suam, suam stragem;  
 120 resurget, at per alterum, haut secus, divus  
 ut per Joannem Thesbites; et excelsus  
 hic spiritus dari potest Elisaeo.  
 Ne glorieris hinc Romane tu Abaddon,  
 ne glorieris hinc Romane Papae-por,  
 125 ne glorieris hinc apostata inconstans,  
 vicisse te, vicisse forte victorem,  
 non gloriaberis satis diu: nescis,  
 quam plurimos se pro salute vovisse

- rei-publicae atque exercitus neci? nescis?  
 130 moriente Samsone et cadente caesi sunt  
 hostes: tulitque Caesarem manus dira  
 sicariorum; nil minus stetit bellum,  
 et hostibus victis mutata Romana  
 respublica est: Phoenicis illa natura est.  
 135 Ne glorieris hinc Romane tu Abbadon,  
 ne glorieris hinc Romane Papae-por,  
 ne glorieris hinc apostata inconstans,  
 vicisse te; vicisse forte victorem  
 non gloriaberis satis diu: certe,  
 140 non mortuus, non caesus est tui vindex  
 sceleris, tuum accusabitur nefas durum  
 jam caelitus, cum vindicari id hic nolles:  
 deceptus es, quem mortuum putas, vivit:  
 quidni, mori virtus nequit, nequit tolli.  
 145 Terror tuus vita fuit, tuus terror  
 post mortem erit, nam Zisca crede surrexit:  
 et si quodammodo mortuus siet, culpa  
 factum sua nequaquam id est, ea est nostra;  
 peccata nostra nostra eum ceciderunt,  
 150 tutore tanto indigna, at hinc quidem dignum  
 vita Methusalae atque seculis multis.  
 Ne glorieris hinc Romane tu Abbadon,  
 ne glorieris hinc Romane Papae-por,  
 ne glorieris hinc apostata inconstans,  
 155 vicisse te, vicisse forte victorem  
 non gloriaberis satis diu, certe  
 terror tuus vita fuit, tuus terror  
 post mortem erit, nam Zisca crede surrexit;  
 deceptus es, quem mortuum putas, vivit.  
 160 Quidni mori virtus nequit, nequit tolli.

## EPITAPHIVM.

- CAESAR, ALEXANDER, SCYPIO, CYRVS ET PTOLOMAEVVS,  
 JOSVA, JEPHTA, SIMVL CVM GIDEONE DAVID;  
 RELIGIO, PIETAS, FORTIS CONSTANTIA, VIRTVS  
 OMNIGENA, HVMANI DELICIAE GENERIS;  
 165 QVIDQVID ET IN TOTO PER PLVRIMA SECVLA MVNDO  
 CLARVIT, HOC VNO CLAVDITVR IN TVMVLO,  
 CORPORE, NON ANIMA, QVAE SVMMA IN SEDE QVIESCIT;  
 CORPORE, NON FAMA, QVAE SVPER ASTRA VOLAT.

Fridericus Menius P. L.  
 Historiarum Professor.

15. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Michael Savonius (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

*Heu mihi quid referam? Prima unde exordia sumam?  
 Svevonici luctus, Finnonicique soli.  
 O mea naufragium quantum nunc patria passa es?*

5 *O afflictata mihi Svvecia mille malis!*  
*Svvecia solve comas rorantes, Gothia fletus*  
*Solve, pias lachrymas Finnia, solve genas:*  
*Nunc afflictata jaces, fuis prostrata capillis,*  
*Et summi magno nominis orba viro*  
 10 *Diique Deaque omnes: Satyri Dryadesque puellae*  
*Fundite per tepidos flumina larga sinus.*  
*Insuper et tellus maris et circumfluis humor,*  
*Rore riga maestat aether et ipse genas.*  
*Sol insurge polis nullo velatus amictu;*  
*Vestibus auratis qui modo tectus eras,*  
 15 *Lunaque perpetuo livescat pallida coelo;*  
*Currite conversis sydera maesta polis;*  
*Ingemat et tristi suffundat lumina fletu;*  
*Lurida Svvevonicu Curia magna soli*  
*Exuat et Pallam gemmis auroque nitentem*  
 20 *Non est conveniens fletibus ille habitus*  
*Tu quoque sponsa Dei dilecta Ecclesia luge*  
*Plangite qui colitis dogmata sancta Dei.*  
*Germanica*  
*Funde etiam lachrymas plangens Livonica tellus*  
*Esthona et Ingria gens pectore tristitiae*  
 25 *Et vos pierides ferales sumite vittas*  
*Solvite divisas maesta Lycaea comas*  
*Ante alios vero studiis intenta juvenus*  
*Misceat et maestat rore tepente genas*  
*Nos plorare decet nos tundere pectora palmis*  
 30 *Et nostras fuso rore madere genas.*  
*Solve Eleggēia comas, scissos Eleggēia capillos*  
*Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.*  
*Rex Svveonum, Rex Gothorum Rex Wandaliu*  
*Gustavus tanti duxque Comesque gregis.*  
 35 *Rex bonus heu fato cessit Gustavus Adolphus*  
*Heu desiderium liquit in orbe sui!*  
*Eheu summa dies nigro submersit Averno*  
*Quo vix Svvevonicu major in orbe manet.*  
*Aequiparandus eis quos aurea protulit aetas:*  
 40 *Sive fidem spectes seu pietatis opus.*  
*Corpore formoso, longe formosior ipso*  
*Mens fuit: ingenuis nobilitata bonis.*  
*Hic patriae norat rebus succurrere lapsis*  
*Munificus princeps, sunt rata verba mea.*  
 45 *Hic vere Scipio Gotthorum saepe cadentem<sup>10</sup>*  
*Et quo fulta salus Christicolumque decus.*  
*Vivus erat veluti promisit nominis omen*  
*Gustavus verus bacculus ille Dei*  
 50 *Bacculus ille Dei sentit quem Sarmata durus*  
*Papanique duces Hispanicique greges.*

<sup>10</sup> *cadentem* S : *cadentum* corr

*Dudum Romanus merito stupet omnia Caesar  
 Austria persentit, Bavaricusque dolet.  
 Gustavus Regni sic est moderatus habenas  
 Vix similem in Chronicis posse puta esse virum.*

55 *Nam quamvis grato plures sub pectore reges  
 Vivunt et vivent dum mihi vita manet:  
 Attamen hic reliquos in tantum excelluit armis  
 Vt corylos quercus duritie superat.  
 Rex nulli veterum vera virtute secundus*

60 *Dulce decus patriae, nobilitatis apex.  
 Imprimis pietatis amans legumque sacrarum  
 Inque Deum inque homines officiosus erat.  
 Audiit ille viros de Relligione loquentes,  
 Audiit, inque Dei templa frequenter iit.*

65 *Pectore qui toto, tota qui mente favebat,  
 Doctrinae super Christe benigne tuae.  
 Relligionis erat vindex fortissimus heros,  
 Laudibus hinc aevum condecorandus erit.  
 Rex gravis et constans, fortis patiensque benignus*

70 *Viribus et pollens consiliisque sacris  
 Principibusque viris Marte et succurrit et arte  
 Bellica disponens Teutona terra tuis.  
 Per varios casus per multa pericla, labores  
 Exsuperans fausta dexteritate graves*

75 *Consiliis rexit multas sapientibus urbes  
 Teutonicas: multis profuit ille modis.  
 Promovit sacras studiis et sumptibus artes  
 Gustavi Phoebus numine tutus erat.  
 Sed laudes cunctas et fortia singula facta*

80 *Possit pro meritis scribere quis calamo  
 Herois tanti dotes pulchrosque triumphos  
 Amplaque victrici parta trophaea manu?  
 O utinam seros potuisset vivere in annos,  
 Vitae affluxissent tempora longa simul!*

85 *Nam vix flore sui septem compleverat aevi  
 Lustra vigens, annos addideratque duos.  
 Dum cadit et mentem coelo dat, funera terrae  
 Aevum qui Pylis vivere dignus erat.  
 Ergone Gustave in viridi sublatus ab aevo*

90 *Sic cadis et natos deseris ante diem.  
 Ecce tuam costam Gnatam regnumque relinquis  
 Atque immaturo mortis honore cadis.  
 Nec tua te pietas, nec te tua plurima virtus  
 Exemit rigidae conditione necis,*

95 *Heu mihi quam subito pereunt humana caduntque  
 Casu insperato, quae valuere ruunt.  
 Quid precor, ah, ausis mors o violenta superbis?  
 Sanguinea praesens omnia falce metis  
 Levida quid nostris si conspicias utile rebus,*

100 *Protinus armata vi rapis omne tibi*

*Tu Generosam audes a corpore solvere mentem  
 Perque omnes saevis pestis acerba vias.  
 Grassaris temere, grassaris turpiter audax,  
 Immensaque hauris optima quaeque siti.*  
 105 *Tu nostri praestans aufers diadema decoris  
 Et lege infesta sub tua regna trahis  
 Tu tantum a nobis Regem Patremque tulisti  
 Qualem vix reddent secula multa virum.*  
*Gustave ah moriens fregisti commoda: tecum*  
 110 *Pene simul tota est nostra sepulta salus.  
 Sed juvat impensis nil fletibus ora rigare  
 Nam nostros fletus vanior aura rapit  
 Musae igitur maestos (satis est) abrumpite fletus:  
 Bustum Gustavi quin decorate rosis.*  
 115 *Ereptus cum sit lachrymosa e valle laborum  
 Regnaque jam coeli perpetuo alma colat  
 Clara sed ipsius generosae fama vigebit  
 Virtutis liquidas dum feret amnis aquas.  
 Aurea devexo dum currunt sidera coelo*  
 120 *Dum pendet tellus pondere nixa suo  
 Semper honos laudesque tuae Gustave manebunt  
 Semper inoblito pectore nomen erit.*

M. Michael Savonius  
 Logices et Ethics Professor.

16. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Laurentius Skytte (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Qui quondam heroum celebrare virilia facta  
 Carmine, quae gestis commeruere suis.  
 Hi conabantur describere sive parentum  
 Ortum, seu stirpem, seu quoque progeniem,  
 5 *Ne laudum jaceant encomia clara sopita,  
 Quorum fama fuit commemoranda diu.*  
*Illud pervolvens ut mentis acumine crasso,  
 Quae potero maestus pectore facta canam.*  
 Magnanimus patriae pater, en, GUSTAVUS ADOLPHUS  
 10 *Defendens forti maenia parta manu.  
 Is laudum fama dignus celebrarier alma  
 Qui benefacta gregi contulit amplo suo.*  
*Hic cum successit magno per scepra parenti  
 Imperio adjecit regnaque plura suo.*  
 15 *Paullo post pergens ad regna Polonica torva  
 Martia per clypeos, sustulit arma suos.*  
*Quod bene processit populum ad pacemque coëgit,  
 Solus consilio et Marte potente fuit.*  
*Conficiens pacem porrectam sex super annos*  
 20 *Pacificè factis omnia composuit.  
 Hinc illum subito Germania ad arma vocavit,  
 Qui Marte instructus fluxit in illa celer.*  
*Vndique victrices portavit pollice crebro*



Laurus, aeternum queis sua regna virent.  
 25 Cum Tilli certans, Tilli tamen hoste fugato,  
 Rex pius et fortis victor ab hoste redit.  
 Denique Lipsensem repetuntur praelia ad agrum  
 Saeua, quibus toties victor ADOLPHUS obit.  
 Sic cecidit primus magnorum nomine notus  
 30 Heroum dignus tempore Nestoreo!  
 Ducite nunc planctum, lachrymosas fundite voces,  
 Quod rapuit regem parca maligna pium!  
 Adverso Marte, heu, furibunda et morte repressus  
 Occidit, heu, lachrymis quis neget esse locum!  
 35 Magnanimi quis enim non fata queratur adempti  
 Regis? vel lachrymas quis prohibere queat?  
 Debita defuncto pietas dat tristia regi,  
 Et sedet ad tristes officiosa rogos.  
 Sed quid opus planctu? querulis quid opusque querelis?  
 40 Atropos, heu, surdis auribus ista capit.  
 Transiit hinc animus super alta palatia Olympi,  
 Cui nescit fama vindice vita mori.  
 Orbis tecta prius coluit, nunc lucida divum  
 Regna, viris magnis debita regna tenet.

Laurentius Skytte Nob. Suec.  
Haereditarius in **Konnungzbro**.

17. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Joannes Delwich (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Nunc mea Musa decet socias miscere querelas,  
 Dum tua res agitur Rege cadente meo.  
 Proximus est paries qui flamma deperit alta:  
 Immo subit Lares invida parca tuos.*  
 5 *Lugebat Phrygios cineres peregrinus Homerus  
 Nec me de propria peste dolere pudet.  
 Plorat Alexandrum Romanus scriptor Achivum,  
 Curtius et Regis scribere gesta cupit.  
 Curta licet, longis tamen addam carmina lessis ,  
 10 Internae testem quae volo tristitiae.  
 Vt distenta sient querulo mea pectora luctu  
 Vix tamen ille potest versibus exprimier.  
 Si quis erit, quantum qui Magno querat Adolpho  
 Amisum patriae, discat abinde, meae:  
 15 Gloria, pax, virtus, victoria, gaudia, vita,  
 Ni DEVS astiterit, perdita Rege simul.  
 Ah divina fave miseris clementia nobis,  
 Te custode nihil sustulit atra manus.*

Joannes Delwich Nobilis  
Livonus, Haered. in Theall

18. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Reinholdus Buchshöfden (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Heu quis inuit tremulas rumor tristissimus aures?  
 GUSTAVVS ADOLPHVS obivit!

Esthoniae magnus gentis moderator ad astra.  
 Bellonae turbine vectus?  
 5 O dolor, o lachrumae, quo nunc se spes mea vortat?  
 Defensor desiit esse!  
 An mea Varscovio confidant vota tyranno?  
 An crebro caede Polono?  
 Si pietasque fidesque viris sub pectoris urna,  
 10 Satanae qui castra sequuntur.  
 Hic Rhodus, hic salta fortis prudentia Martis!  
 Nunc armis indiget orbis!  
 Oxensterniacus Germanis Nestor in oris  
 Heu pugnat et Hornus Achilles!  
 15 Orphanon Esthonum nisi contra protegis hostes,  
 JESU, cum Rege peribit.

Reinholdus Buchshöfden  
Nob. Livon. Haered. in Palver.

19. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Samuel Ackerbaum (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*Occidit Heroum Princeps, GVSTAVVS ADOLPHVS,  
 Magnus Rex Sueonum, viribus Hector obit.  
 Occidit heu Sveonum, qui Suada perita potentum,  
 Ingenio et celebris, maximus arte fuit.  
 5 Certum est, nunc Sveonum misceri pectora luctu,  
 Illorum et voces astra ferire poli.  
 Certum est, nunc proceres Regni, nunc ire profusas  
 In lachrymas quot alunt Bellerophontis aquae.  
 Flebilis hoc misero status est dum tempore factus,  
 10 Magnanimi ob mortem, flebilis ecce status.  
 Martius ille Aeris rauci canor occinit, et vox  
 Vnaque per muros dum sonat hostis adest.  
 Nil laeti superest ostentant omnia luctus,  
 Esuries multis dum metuenda venit.  
 15 Dum sperare boni nil possis, vel meliorem  
 Fortunam hocce tibi tempore posse dari,  
 Quamvis semotus longe foret angulus ex his  
 Turbis: terrorem concipis inde tamen.  
 O DEVS hunc cordi tibi si servare fuisset,  
 20 Qui Germanorum vita decusque fuit.  
 Verteret in melius fortassis signa futuri,  
 GVSTAVVS Princeps, Numine dante, pius,  
 Dum jacet ast domitus GVSTAVVS morte rapace,  
 Perpetuum in coelo floreat ore precor.  
 25 Perpetuum et valeat nova factus lumine stella,  
 Quale solent animae sumere, quale jubar.*

Samuel Ackerbaum.  
A. R. J. R.

20. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Benedictus Baazius (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Heu, cur Terrigenae clamoribus aethera complent?  
 Cur fundunt querulos horrido ab ore sonos?  
 Atria cur maestas depromunt gutture voces?  
 Curque domos gemitu tristia tecta replent?  
 5 Scilicet occubuit tutor GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Firma columna fuit magna corona gregis.  
 Qui propter rerum gestarum in pectore dotes  
 Vivere perpetuo tempore dignus erat,  
 Magnanimusque fuit, fuit et pietatis amator  
 10 Sacraque munifica dogmata juvit ope.  
 Anchora tuta fuit praeclaris ipse camaenis,  
 Semper erat studiis anchora sacra bonis.  
 Flebilis indignos hinc Suecia solve capillos  
 Et tristes tristis fundere perge sonos,  
 15 Nam patriae pater ille jacet per fata peremptus  
 Subjacet et gelido corpus inane solo.  
 Illius ipsa obitum deflet Regina cruentum  
 Et proceres regni, filia maesta dolet.  
 Sed quid opus nimio consumere corda dolore?  
 20 Et carmen querulo fundere inane modo,  
 Quid juvat et maesta regem lugere querela  
 Immodice, patriae et quaerere flendo patrem?  
 Nam fuit aeterni patris decreta voluntas  
 Quam nunc mortalis vincere nemo potest.  
 25 Mens sed in angelico cantat nova carmina caetu  
 Incipit et vita hinc prosperiore frui.  
 Ergo nunc cessat mundana corona vigere  
 Incipiunt celsi, regna beata poli.

EPITAPHIVM.

30 Svecia me genuit, rapuit Germania dita  
 Servivi vitae tempore mente Deo.  
 Hinc patria et conjunx et filia nata valete,  
 Nulla mihi vos spes, ultima Christus erit.

Benedictus Baazius  
Philosophiae Candidatus.

21. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Petrus Andreae <Arbogiensis> (cf. 12) UUB, SKB, H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Colloquuntur Svecia et Germania

S. Ah, ah me miseram tanto quae orbata parente,  
 Alis sub cujus vivere mi licuit.  
 Quis mihi nunc gemitus? quis dignos suggerat imbres?  
 Gustavum patrem, sustulit atra manus.  
 5 Hectora deflevit Priameia Troja peremptum,  
 Aeaciden luxit Graecia tota, Ducem.  
 At me Trojano, dolor, urget funere major,

Et gravior Grajo causa dolore premit.  
 Nunc jacet in Gustavo Hector, nunc fortis Achilles,  
 10       Auxilium firmum, praesidiumque jacent.  
 Invictis illi pepulerunt viribus hostes,  
       Defensor populi fidus uterque fuit.  
 At mea diva Columna, Basis, Gustavus Adolphus,  
       Defendit populi fortius arma sui.  
 15   Heu mihi quid vana, hinc, depromam voce querelas?  
       Quid referam miseris carmen inane modis?  
**G.** Tu quis ades, suspende gradum, quid maesta querela?  
       Planctus quid praeceps? quid lachrymae insolitae?  
 Siste gradum dico; cur fles? cur maenia luctu?  
 20       Turbanturque, oculus cur fluit instar aquae?  
**S.** Flecte pedem retro, nulla est mihi causa morandi,  
       Sed mihi dic subito nomen, et ede tuum.  
**G.** Ipsa vocor diva Heroum Germania, terra  
       Frugiferens campis, saltibus Hercyneis.  
 25   **S.** O tu causa mali, pejor tu quippe noverca,  
       Quae tanti fueras ansa nefanda mali.  
 Corpore pro vivo, tu corpus inane remittis,  
       Reddis pro patriae, lurida membra, patre.  
**G.** Cur quereris? quis jam occubuit? num Martius Ajax?  
 30       Romulus Iliades? vel Remus Ausonius?  
**S.** Non Trax, non Italus, pius at Gustavus Adolphus  
       Occubuit, patriae firma columna, basis.  
 Ille per Europam celebri sat nomine notus,  
       Qui summum decus et Martis et Artis erat.  
 35   Illum non tenuit suavissima patria tellus,  
       Non lachrymae populi detinere sui.  
 Non genus, et proceres, non regni stemmata clara,  
       Non quoque felicitis jugera mille Soli.  
 Sed pergens terram in peregrinam, proque salute  
 40       Ipsius fortis, multa pericla subit.  
 Unde jacet, dolor, heu, misere a tutore relinquo,  
       Gustavus Sveonum spesque salusque jacet.  
 Defensor populique mei fuerat memorandus,  
       Nunc quis erit nostrae, portus et aura, ratis?  
 45   Et tibi quis toto, Germania, restat in orbe?  
       Regna tibi forti, qui regat, ampla manu?  
**G.** Heu, heu, quae pavidas cita fama mali, occupat aures?  
       Vis mortis Regi saevior incubuit?  
 Millibus hincque petor telis, patet undique nudum  
 50       Vulneribus pectus, Rex mihi verus abest.  
**S.** Exue laetitia vestes, Germania, luge,  
       Suspirans lachrymis ora genasque riga.  
 Pulvere tinge caput, lachrymarum flumina funde,  
       Perdidimus fidum, per mala fata, patrem.  
 55   Quem dum vivebat stultae, negleximus, eheu,  
       Quaerimus absentem pectore sollicito.

- Non sua quaesivit, nec opes, amplos nec honores,  
 Deliciae illius gloria sola Dei.
- Magnanimus magnos noctesque diesque labores  
 60 Pertulit, aerumnas sustinuitque graves.  
**G.** Num non sana tulit Regi medicina salutem?  
**S.** Nil medicina tulit, pharmaca nulla valent.  
**G.** Non? **S.** Non. Namque haesit mediis mors fixa medullis,  
 Arrepto piceum sulphur ut igne solet.
- 65 **G.** Quis deflet Regem? **S.** tremebundo ego Svecia vultu,  
**G.** Quis praeter? **S.** consors maesta, dolensque gemit.  
**G.** Non reliqui? **S.** proceres regni, quoque filia Princeps,  
 Ora madent fletu, lumina cuncta rigant.  
**G.** Qualis erat? **S.** vultu mitis, pius, inclytus, aequus,  
 70 Heroo spirans pectore ubique suo.  
**G.** Heros quis? **S.** Virtusque Dijs quem Heroibus aequat,  
 Cujus res gestas prendere charta nequit.  
**G.** Qui mores? **S.** Patrij, placidi, rari, quoque sancti,  
 Innumeri, quales carpere nemo potest.
- 75 **Quis Regem sepelit? S.** lachrymans, flens, Svecica tellus,  
 Et Regina dolens, nata tenella gemens.  
**G.** At proceres regni? **S.** proceres, imo agmina diva  
 Musarum, totus Pieriusque chorus.  
**G.** Quis ritusque fuit? quae pompa? quis attulit urnan?  
 80 **S.** Ipsamet. **G.** in patria num cubat ille? **S.** cubat,  
**G.** Numve senex? **S.** annos tres, septem et lustra peregit,  
 Quando in coelestem transiit ipse sinum.  
**G.** Quaeso, refer, patriae loca quae meliora frequentat,  
**S.** Coelica, ubi sanctos inter adorat avos.
- 85 **G.** Mens igitur patriae fruitur coelestis honore?  
 Et tantum tegitur corpus inane solo?  
**S.** Imo, nunc inter celsissima numina vivit,  
 Et Regem vivum posthuma fama facit.  
**G.** Regem felicem, nunc terque quaterque beatum,  
 90 Qui capit in regno, gaudia vera, Dei.  
**S.** Quod restat nunc vota damus, de supplice corde,  
 ut stellamque Deus mittat, ab arce, novam.

*Votum conjunctim fundunt.*

- Christe pio orbatas et charo praeside gentes,  
 95 Ne tamen auxilio destituisse velis.  
 Nil opis humanae, nil restat in orbe salutis,  
 Ad tua confugimus maxime, castra, Deus.  
 Da patriae pacem, vindex fera discute bella,  
 Dextra tu forti publica quaeque rege.
- 100 Nobile depositum coelestis dogmatis inde  
 Fortius in patria fac regione sonet,  
 Tu nostros tristes clementer recipe luctus,  
 Lumen pro charo Rege, remitte novum.

105 Cujus subsidio post hac nil tela nocebunt,  
 Membraque nec laedet, languida, Papa ferox.  
 Petrus Andreae Arbogiensis  
 Philosophiae Candidatus.

22. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Jonas Lannerus (cf. 12) UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Qua nituit clara faecunda Svecia gemma,  
 Nunc Mors in gelido luxuriat tumulo  
 Dicamne heroum vitaevo exemplar Adolphum  
 Vix aluit majus Gothica terra decus.  
 5 O genus heroum stirps, lumen, et unica stella,  
 Te tamen heu nimium mors properata tulit.  
 Tu tibi non nobis fueras satis, attamen, eheu  
 Quis vetet occiduas non periisse rosas?  
 Effundit maestas lachrimas nam Craesus et Irus.  
 10 Jam satis, ut miseris temperet a lachrymis,  
 Omnia nam cum sint mortalibus edita seclis.  
 Despereant urbes, despereantque viri  
 Nec Regum nec Regnorum stant libera fata,  
 Cunctaque versantur continuo interitu.  
 15 Sed licet, haecce ruant, superum tamen illa voluntas,  
 Talibus haud animae, quod subeant vicibus.  
 Coelo animam, terrae liquit sua viscera: mirum est,  
 Hunc tumulum tantum condere posse virum.  
 Aurato curru invectus capitolia coeli  
 20 AVGVSTVS Sveonum Rex tamen usque viget.  
 Jonas Lannerus.

23. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Petrus Turdinus (cf. 12) UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

*Plangite Germani, Suecorum turbaque plange  
 Plangite Gothorum pectora, plange charis  
 Plangite vos musae, musarum plangite alumni  
 Christiadumque cohors pallida plange pie  
 5 Pallida plange cohors, nam vertice lapsa corona,  
 Proh dolor, Aonidum gloria summa perit!  
 Gloria summa perit, Magnus Gustavus Adolphus  
 Gloria Gotthorum Christiadumque decus.  
 Sed perit ille quidem, cujus moritura nec unquam  
 10 Fama tamen remanet, dummodo terra manet  
 Hinc satis elucet nulli exorabile fatum  
 Quod reges etiam subjicit imperio?  
 Terror erat furiis papalibus illa, Iohovam  
 Orando, stravit quasque potente manu:  
 15 Oppressis contra solamen eratque levamen  
 Quos subito auxilio, juvit et eripuit.  
 Laetus ad astra volat, pro relligione colenda  
 Mortuus invictus jubila magna canens.  
 Tu Deus interea pro nobis praelia praesta  
 20 Hostes terribiles, tunde retunde tuos*

*Christicolam turbam reparatam sanguine Christi  
Injustis noli Iohva<sup>11</sup> perire modis  
Fac redeat nobis pax florida tempore nostro  
Vt tibi reddamus carmina digna Deo.*

Petrus Turdinus  
Both.

24. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Joannes Raicus (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Fatorum dubiis vicibus quis terminus? aut quum  
Imperij mortis Pausa suprema venit?  
Mors ac Mars rigide rutilum bacchantur in orbem,  
Aequora belvarum turpiter antra petunt.  
5 Oedipus et Davus, Rex, Dux et subditus urnis  
En inhumentur iis, quas fera Clotho parat!  
Exemplum nobis memorabile ab omnibus unum  
GVSTAVI nimium mors properata tulit.  
Hic validos inter Rex connumerandus Achilles,  
10 Hic clarus, Clarij, Martis hic arte potens.  
Attamen is mortis manes expertus acerbos,  
Ut flores abeunt sic cecidit placidus.  
Sed nil est mirum: Sic ibimus, ibitis, ibunt,  
Lethivomae vox est haecce tremenda Deae.  
15 Quondam praevalidi, sapientes, atque Dynastae  
Ingenio faciles, attamen in cineres!  
Qui fama celebris, pylios is vernat in annos,  
Vitam non ejus invida mors temerat.  
Talis erat Regis GVSTAVI vita Sueonum,  
20 Cur non interiit sed viget atque viret.

Joannes Raicus.

25. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Joannes Raulinius (cf. 12)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Musa

*Modo, cruentae amans necis, satis diro  
Atrox feroxque Parca me vel in mortem  
Adusque (proh) miserrimam dedit ferme.  
Dolore tangor inde corditus crebro,  
5 Meum fluit, madetque guttulis pectus;  
Agam quid autem ego? Patronus exivit  
Meis quidem focis, perenne qui constans  
Mihi litat favoris aureum munus,  
Vagantis altius caliginis telo  
10 Meosque meque qui premi videns curat,  
Et undiquaque diligit Deam solam  
Dynasta me potens, honore confirmat,  
Adauget et coronat. Ast ubi tantus?  
Videte vos Patrem meum, Virum suavem,*

<sup>11</sup> Iohva edd metri causae

- 15 *Ducem meum, Polum meum, gravem Regem!*  
*Agam quid interim? Patronus exivit*  
*Meo quidem sinu, laboris est factus*  
*Is improbi sequax. Ferae mihi gentis*  
*Quia ipse dura colla subjugat, templa*
- 20 *Amoena, dia fulcit et fovet, munit,*  
*Quid insuper? beatve dotibus seris,*  
*Magis quid? haecce palliat toga pacis.*  
*Videte vos Patrem meum, Virum suavem,*  
*Ducem meum, Polum meum, gravem Regem!*
- 25 *Mori volo lubens, salus enim vitae*  
*Abest, corona, quid? Columna, quid? Magnus*  
*Senator Arte, Marte clarus et fortis*  
*Abest. Dolor sed obsidet novus mentem*  
*Meam, maligna garrio quid? indoctis*
- 30 *Melodiis en dissonas cano gerras!*  
*Inest, viget, viret beatus in coelo*  
*DEI, quia entheo Deum suum cultu*  
*Tulit, meisque mique templa, divinae*  
*Forumque veritatis ipse fundavit.*
- 35 *Dies suos in hoc labore consumpsit*  
*Canens: REGENTIS inde coelitus IOVAE*  
*Venit favor. BEATVS est apud IESVM.*  
*Videte vos Patrem meum, Virum suavem,*  
*Ducem meum, Polum meum, gravem Regem.*
- 40 *Iram sed heus feramus hanc arcem CHRISTI,*  
*Manemus ecce quisquis in dica! Fatum*  
*Hoc auferant, vovete, sed preces vestrae.*  
*Prius suos ira gravi aestuans IESVS*  
*Monebat; ast ubi arduas eos voces*
- 45 *Habere vidit, en amicus est illis!*  
*Tenore, nos, eo petamus offensum.*

Joannes Raulinius.

26. Adr: Heinrich Hein – Aut: Fridericus Menius (Magnificis honoribus /.../ Heinrici Hein, J. U. doctoris, et in Regia Dorpatensi Academia professoris P. summique dicasterii, quod ibidem est, adsectoris, cum ipsi Kalendis Novembris, /.../ scepra Lycei offerrentur, Phoebus triumphans gratulatur. – Athenis Livonorum, 1633: J.Pistorius)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Quaeritur (et tritum est) annum moderamina rerum  
 Mundi Christicolis suscipienda sient?  
 Quidni, namque jubet Deus omnia ut ordine fiant,  
 Praecipitique casu ne bona cuncta ruant;
- 5 Nauclero ne cymba, suo, aurigaque remoto,  
 Currus multivagis praecipitetur equis.  
 Non facerent hoc Theiologi,<sup>12</sup> Jurisque periti,  
 Non Medici experti, Philosophique boni,  
 Si regnare malum, injustumve, minusve salubre

<sup>12</sup> *Theiologi* ed metri causa



10                   Esset, communi vel ratione carens.  
*Salve HEINI, nostrique Lycei scepra capesse  
 Faustiter; et regna leniter et graviter.  
 Sic etenim moderata diu durantque vigentque;  
 Et tua perpetuo fama superstes erit.*

FRIDERICUS MENIUS  
 Hist. et Antiq. Profess. Ord.

27. Adr: Heinrich Hein – Aut: Bernhardus Below (cf. 26)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Vivunt Pierides, rumpantur ut ilia Momo,  
 Mars fremat et tetram spiret Styx nigra mephitim,  
 Munere Divini et felicitis Sveciae Achillis  
 Floret Dorpatum, Invidiam pede calcat Apollo,  
 5    Et victor, domito securus ab hoste, triumphat.  
 Grajugenae Heroës ignoscite, barbarus olim,  
 Incultusque Livo, vestris jam degit Athenis.  
 Floret Dorpatum, Invidiam pede calcat Apollo,  
 Ac Heliconipetae rigat arida labra juventae  
 10   Nectare, ab Arctoa quod profluit Hippocrene.  
 Jamque, tuos humeros Sidonia Epomide cingens  
 Clare Vir Heiniade, Themidos sacrate sacerdos,  
 Praelustris tradit tibi regia scepra Lycei,  
 Quo placida turbam studiosam in pace gubernes,  
 15   Justitiamque pari cunctis ratione ministres,  
 Innocuosque bonosque fovendo, malosque premo.  
 I felix Vir Magne, et, onus venerabile dextro  
 Alite succipiens, nobiscum fortiter omnes  
 Obtrectatores Musarum despice. Divae  
 20   Vivunt Pierides, rumpantur ut ilia Momo.*

Observantiae ergo  
 faciebam  
 BERNARDUS **Below** /  
 Philos. et Medic. Studiosus

28. Adr: Heinrich Hein – Aut: Christophorus Fureccerus (cf. 26)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Magna decent magnos, magnis splendoribus ornat,  
 Quem satis ornatum Thespia turba videt.  
 Fama cluat, pulchraque licet virtute corusces,  
 Et volites gravium culta per ora virum:  
 5    Te tamen ingenuae haud cessant ornare Camoenae,  
 Quo referant studiis praemia digna bonis.  
 Hoc etenim clarum faciunt te munere Musae,  
 Hoc gratus doctis sis Sophiaeque gravis.  
 Hoc etiam moesti veniunt durique labores;  
 10    Venit honos nunquam, ni comitarit onus.  
 Deprimeret moles Alcmena matre creatum,  
 Quam tu constanter sustinuisse vales.  
 Tolleret hoc cristas Socrates ornatus honore,  
 Titillare tamen qui tua corda nequit.*

15 *Sic labor eximii stimulos obtundit honoris,  
Est quoque sic oneri dulce levamen honos.  
Munere macte novo, vir clare, nec ambige, quod res  
Grata sit haec Phoebos sit quoque grata Deo.*

Debitae observantiae e. f.  
CHRISTOPH. FURECCERUS Semg.

29. Adr: Heinrich Hein – Aut: Fridericus Heinius (cf. 26)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Te, perchare Parens, reliqui cum carmine digno  
Ornent, ut faciam me monet hoc pietas.  
Sed mea vota sient, cum certa destituar re.  
Cunctos conatus dirigat ipse DEUS,  
5 In laudem ut cedant Christique, hujusque Lycei  
Fructum majorem. Sic mea vota fero.

Pietatis contestandae ergo fecit  
FRIDERICVS HEINIVS Filius.

30. Adr: Petrus B. Holmerus – Aut: Petrus Andreae (Disputatio theologica, eaque anniversaria, ex Epist. ad Ephes. cap. 1. a v. 3. usque ad 7., qua ἰχνογραφία /.../ quaedam traditur doctrinae, de aeterna hominum, perseveranter ad finem usque vitae in Christum credentium, ad salutem aeternam electione. Habebitur /.../ in /.../ Livonorum Universitate, /.../ praeside Petro Goetschenio, /.../ respondente Petro B. Holmero, /.../ 14. d. Septembr., /.../ MDCXXXIII. – Dorpati Livonorum, <1633>: J.Pistorius)

SKB, EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Humanissimum*

Dn. PETRUM B. HOLMERUM, de Electi-  
one hominis docte disserentem, prosphone-  
mate hoc amico prosequi voluit,

M. PETRUS ANDREAE Arbogia Wesmannus.

*Decretum non te pudeat, CALVINE, fateri  
Horrendum, quod sat pagina sacra negat?  
Atque fide cur non Electos ponere quosvis  
Constituis? quis enim te furor ater agit?  
5 Errans ausculta: Conclusa est Janua vitae  
Nulli, cui fido stat rata corde fides.  
Sed cuivis homini Dominus de fonte perenni,  
Salvificas aperit sponte salutis opes.  
Ergo caput, CALVINE, tuum sustollere cessa,  
10 Nam PETRVS calvam fortiter ipse tuam  
Calcabit, quo nil possint tua tela nocere,  
Quin proprio gladio perfida cuncta cadant.  
Et, PETRE, cum capias nomen de nomine PETRAE,  
Esto Sincerae religionis amans,  
15 Nec cesses stabilis stabili ratione tueri,  
Quas scripsit Doctor cultior arte Theses.  
Sic poteris cinctus victrici quippe corona,  
Lauricomum tandem tollere rite caput.  
Sic statuet te astris celsis Electio vera  
20 Victricisque manus munera clara ferens.*

31. Adr: Jonas Jacobi Lannerus – Aut: Petrus Goetschenius (Disputatio physica anniversaria. De natura ignis. Quam /.../ in Regia Academia Dorpatensi sub praesidio /.../ Heinrici Oldenburgii /.../ ventilandam publice proponit Jonas Jacobi Lannerus /.../ ad diem 22. Junij /.../ - Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius)

SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ad humanissimum atque doctissimum*  
DN. IONAM LANNERUM,  
de igne disputantem.

*Ignea vis animi causas tentare latentes  
discupit, abstrusum nil sinit esse sibi:  
Impensae pretium curaeque operaeque requirit,  
aggregat et tantum, quae bona-cunque, petit.*  
5 *Concilium est maris, et flammae, telluris et aerae;  
obtinet ast summum candida flamma globum:  
quae sunt ejusdem generis coacervat in unum,  
quae sunt diversi, segregat illa loco.*  
*Ignea sic animi vis non rimatur acute,  
10 naturae quae sunt obvia cuique satis,  
sed rapitur perscrutanda, ad sublimia quaevis,  
rerum naturas excutit illa novas,  
noxium et utile permagno discrimine signat,  
cunctaque solerte digerit arbitrio.*  
15 *Igniculos<sup>13</sup> revocas mentis, LANNERE, sepultos,  
naturae versas splendida dona sinu.  
Excute foecundis quaevis successibus, opto,  
et curae atque operae commoda mille feres.*

PETRUS GOETSCHENIUS,  
SS. Theol. Licentiatius.

32. Adr: Jonas Jacobi Lannerus – Aut: Benedictus Baazius (cf. 31)

SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Ingenium magnum est, Physicas quod noscere causas,  
Quodve theses potis est, conscribere, easque tueri:  
Laus igitur tibi sit, quod disseris, atque tueris  
Jam, Lannere, theses conscriptas mente sagaci*  
5 *Quod quamvis durum, multos habeatque labores,  
Te tamen ad magnos tandem perducet honores.  
Hisce valeto diu et successibus utere faustis,  
Conatusque tuos feliciter ille secundet,  
Qui mare, qui terras, qui cunctaque in orbe creavit.*

Amoris et honoris gratia celeri admodum  
calamo L. mque

A. M. M. F.

M. BENEDICTUS BAAZIUS

33. Adr: Jonas Jacobi Lannerus – Aut: Ericus Bergius (cf. 31)

SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Nonne apis herbas*

<sup>13</sup> *Ingniculos* S : calamo correctum *Igniculos*

*gustat agelli,  
 ut sibi succos  
 hinc legat omnes,  
 5 Unde parare  
 noverit arte  
 dulcia mella  
 atque favos? Sic  
 Dulcis amice,  
 10 Visis et hortos,  
 rite Thaliae; ut  
 Thespiadum ex his  
 promere possis  
 munera cuncta.  
 15 Gratulor Ergo  
 Sympatriota,  
 quod tua coepta  
 rite patescant.  
 Et lubet inde  
 20 fundere vota,  
 Atque precari, ut  
 Phaebus ab alto,  
 His benedicat;  
 Tu quoque faustus,  
 25 Candide JONA  
 Nestoris annos  
 vivere possis:  
 sic tua fama,  
 Chartea fama,  
 30 optima fama,  
 doctaque fama  
 [Voveo] totum  
 perrepet aevum.*

LANNERO auctori, Dorpati haec scripsit ERICUS  
 BERGIUS, Aonidum fontibus ora rigans.

34. Adr: Jonas Lannerus – Aut: Benedictus Brusaeus (Disputatio philosophica de causis externis, quam /.../ sub praesidio /.../ Heinrici Oldenburgii, in Academia Regia Dorpatensi, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo publice /.../ ad d. 11. Oct. 1633 /.../ discutiendam proponit Jonas Jacobi Lannerus /.../ - Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius) SKB (def), H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*ALIUD*

Post, ubi te LANNERE virum jam fecerit aetas,  
 En Sophiae clarae<sup>14</sup> scandere castra vales,  
 Artes cum et Sophiae, doctas pietate parasses,  
 Quae sunt doctisonis mille referta bonis,  
 5 Et quia te gaudet sic irrorasse labellum  
 Fonte Caballino turba novena modo:  
 Ergoserta Magisterij nunc laurea carpe.

<sup>14</sup> *clarus S : clarae calamo correctum*

10 Sic Sophiae campum percoluisse juvat.  
 Gratulor hinc docti nomen titulumque Magistri,  
 Et precor incaeptis, prospera cuncta, tuis.  
 Spiritus aeternus foveat te numine sancto,  
 Ut patriae possis utilis esse tuae.

Non tam moris, quam honoris  
 ergo deproperabat  
 BENEDICTVS BRVSAEVS  
 Smalandus.

35. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Andreae (Dissertatio theologica anniversaria de precatone in Regia Academia Dorpatensi publice proposita: praeside Georgio Mancelio /.../ respondente Nicolai Olai, Calmaria-Sueco. /.../ a. d. 16. Augusti /.../ - Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius)

EAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ornatissimo et Doctissimo juveni – Viro*  
 Dn. NICOLAO OLAI Calmariensi Sveco.

5 *Sex intra menses, ternos et temporis annos,  
 Elias precibus tantum perfecerat ardens  
 Ut pluvia sterilem non terram humore rigarent;  
 Institit et precibus spacium post tempora inde,  
 Tellurem Deus ut fluida perfunderat unda,  
 Et factum est Votum, quod postulat, ecce reportat.  
 Tanta preces faciunt Domino quae credula adhaerent.  
 Illa nam penetrant nubes et sydera celsa,  
 Afflicti gemitus et suspirantis ad astra*  
 10 *Tollunt et redimunt peccati mole gravatos.  
 Territa mens vitiis et imagine vindicis irae,  
 Effusis precibus, veniam constanter habebit,  
 Et non respiciet Dominus peccata peracta:  
 De precibus Niclae ergo quod disseris ipsis,*  
 15 *Laudo propositum, et conatum laudo virilem,  
 Perge ratis precibus post hac tua cuncta petitae  
 In coelis capias justorum cum agmine charo,  
 Cui Dominus tribuet precibus sua praemia digna.*

L. Mque f.  
 M. PETRUS ANDREAE Arbogiensis Suec.

36. Adr: Petrus Andreae – Aut: Georgius Mancelius (Gratulatoria quibus /.../ Petro Andreae /.../ 4. d. Nonarum Martii <4.3.> anno /.../ 1633. in /.../ Livonorum Academia Dorpatensi summum in philosophia gradum accipienti /.../ Decano facultatis philosophicae /.../ Michaelae Savonio log. et ethices professore /.../ gratulabantur praeceptores populares et amici. – Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Praestantiss. Domino*  
 PETRO ANDREAE Arbogia-Sueco.

*VIRTUS IN LAVDE EST POSITA, ET SVA PRAEMIA NOVIT:  
 Accipis hinc laudem tu a Praeceptoribus, aequam  
 doctrinae, et studio dignam, ornatissime PETRE,  
 Perge, et susceptam Spartam defende per aevum,*

5 *atque piam caepti telam pertexe laboris:  
sic major laus expectanda erit arce superna.  
Sis felix; longumque DEVS te vivere faxit.*

Ex animo voveo  
GEORGIVS MANCELIUS  
SS. Th. Licentiatus, ejusdemque Prof.  
ordin. Pastor et Praepositus

37. Adr: Petrus Andreae – Aut: Henricus Oldenborg (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Macte tuis, Arbogi, macte celebribus ausis<sup>15</sup>,  
Quibus bona captas praemia,  
Macte, manet quoniam te laurea, marcida nunquam  
Virtutis alma gloria.  
5 Ergo virtutum celeberrima signa tuarum  
Meritis capis nunc laudibus.  
In promptu<sup>16</sup> causa est. Nam te decoravit, et auxit  
Jehova donis splendidis.  
Nonne fateris idem? cernit tua munera quisque,  
10 Et mentis, et quoque corporis.  
Utere sorte tua, quae jam tibi commoda lucet,  
Olim quae erat contraria.  
Nam te surripuit fortuna parentibus: Ecce  
Jam reddidit parentibus.  
15 Qui tua doctrinae diademate tempora cingunt,  
Foventque amore patrio.  
Aspice docturam tibi quam Savonus<sup>17</sup> amore  
Offert merito clarissimus.  
Hanc cole constanter, sortem reverenter habeto,  
20 Ut patriae et bono tuo  
Prosit certamen, laurus quoque prosit, amice,  
Vitae beatæ commodis.

M. HENRICVS OLDENBORG  
Oratoriae et Poëticae facultatis Pro-  
fessor ordinarius.

38. Adr: Petrus Andreae – Aut: Petrus Goetschenius (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Omnibus ex lustris vestigans omnia mente,  
instar odorisequi nare sagace canis,  
munere discedit laetus, potiturque petitis:  
optio fit votis irrita nulla suis.*  
5 *Tu, PETRE docte, catae scrutaris acumine mentis,  
altius haud vulgari excutis arte modum.  
quaenam fortunæ facies sit summa secundæ,  
qui possis vera prosperitate frui.*  
*Quaesitum invenies, modo coepta impensius urge,  
10 atque hauri undantes ex Helicone lacus.*

<sup>15</sup> *ansis* U : calamo *ausis*

<sup>16</sup> *promptu* U : *promptu* corr

<sup>17</sup> *Savonus* pro *Savonius* metri causa.

*Primo igitur merito laudatis gratulor ausis:  
ingenii cumules augmine dona, Deus.  
Idem des, deinceps collatos grater honores,  
quos animi dotes promeruere tibi.*

Petrus Goetschenius SS. Theologiae Licentiatus.

39. Adr: Petrus Andreae – Aut: Samuel Ackerbaum (cf.36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Dignum laude virum specimen probitatis et artis  
Qui vulgo ex toto ponere corde studet  
Hoc tu Petre facis subeundo examinis aestum  
Et quae sit facies indolis ipse probas.  
5 Praemia digna feres non sertum e flore quod una  
Saepe die floret, praemia digna feres  
Nimirum immortale decus titulumque Magistri  
Quem pietas virtus promeruere tibi.  
Perge igitur Dominum supplex pervota precari  
10 Incolumem quo te servet alatque diu.

Honoris et amoris  
ergo  
Deproperabat  
SAMUEL **Ackerbaum**  
A. R. J. R.

40. Adr: Petrus Andreae – Aut: Jonas Jacobi Lannerus (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Laurea dum capiti nectebatserta Minerva  
Quae meruit virtus, quae meruitque labor.  
Candide Petre tibi dignos hos grator honores,  
Pectore laetanti gaudia mille fero.  
5 Applaudunt omnes, cingunt tibi tempora Lauro  
Phoebaea, et cumulantserta Magisterii.  
Inflexum molles digitos circumligat aurum,  
Dona Heliconiades dant tibi Petre rata.  
Nil igitur restat nisi votis fata precemur,  
10 Prospera supplicibus, candide amice, tibi.  
Angelicae cingant turbae tibi corpus ubique,  
Teque tegant inter mille pericla viae:  
Hincque vale Sospes Petre, conservatus ab omni  
Sorte maligna: iterum dulcis amice, vale,  
15 Et tibi succedant in laudum jura tuarum,  
Inque usum Patriae, versibus hisce, precor.*

Honoris et amoris ergo apposuit  
JONAS JACOBI LANNERVS.

41. Adr: Petrus Andreae – Aut: Petrus Turdinus (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Insignis titulus, *Salve praeclare Magister!*  
Paucis contingit, quos nisi *Musa* regit:  
Paucos *Musa* regit; contingit adire corinthum  
Perpaucis etenim, quos nisi *Phoebus* amat.

- 5 Nullos *Phoebus* amat, nisi durae pellis *Homerum*  
 Quem jam perpauci concupiere sequi.  
 Hinc pauci tali possunt cognomine dici,  
*Aoniis Musis* digne Magister ave!  
 Tu quoniam pie *Petre* times nec saxa nec ignes.  
 10 Durus *Homerus* et es, Clarus *Apollo* tibi.  
 Hinc merito a vulgo diceris docte Magister!  
 Qui titulus famam tollet ad astra tuam.  
 Pergito *Petre* precor *Musas* ne desere amaenas  
 Clarus, praeclarus sicque Magister eris.  
 15 *Jova* tuum ceptum confirmet, at augeat opto,  
 Et precor innumeros pulpita nostra ferant.

PETRVS TVRDINVS Both.

42. Adr: Petrus Andreae – Aut: Laurentius Iohannis Fordelius (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- Torque Coronatur validis vir arduus armis*  
*Aurata, clarum dein quoque stemma venit:*  
*Sic qui parnassis habitant in montibus omnes*  
*Aurata fulgent torque viri nitidi.*  
 5 *Hanc mihi, Petre viros inter numerande Magistros*  
*Prosilis ut torquem commeritam capias.*  
*Quod superest voveo faustum tibi pectore votum,*  
*Et precor ut Dominus te<sup>18</sup> foveat, retegat.*

Officiose apposuit  
Laurentius Iohannis  
Fordelius

43. Adr: Petrus Andreae – Aut: Magnus Benedicti A&lt;nethulander&gt; (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- Craesus opum magnum vanarum quaerit acervum,  
 Magnus Alexander bella cruenta petit.  
 Argenti hic cumulum venatur, gloriam at alter,  
 Terrenas cupit hic, quas habet orbis, opes,  
 5 Terrigenum hic mos est, placet his, quod displicet illis,  
 Quis vult contentus vivere sorte sua?  
 Horum nil Quaeris tu Candide *Petre Magister*  
 Sed *Sophiae* doctae docta brabea petis.  
 Purpurea hinc semper fulgent tua tempora mitra  
 10 Laurea quod viridis, cinxit honore caput.  
 Hisce vale, titulo fruire hoc sine fine perenni,  
 Utque feras Patriae commoda mille, precor.

Candoris et honoris  
ergo apposuit.  
Magnus Benedicti A.  
Wasboensis Svecus.

44. Adr: Petrus Andreae – Aut: Georgius Zethraeus (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO*Nunc tibi consurgunt laudes, nunc*

---

<sup>18</sup> Textus corruptus U



*Te quoque coelica sidera trahunt.*  
*Nunc tibi laurigeros Dorpati,*  
*Dat victoria laeta triumphos.*  
 5 *Inceptam quod possis PETRE*  
*Cursu, laude capescere metam.*  
*Suadeo sic pergas Vesmanne,*  
*Nunc trutinans vestigia magna*  
*Doctorum, ut pariter praeclara,*  
 10 *Semper portas laude trophaea.*  
*Suadeo sic pergas nec doctus*  
*Cesses, docte vincere doctos.*  
*Nam tibi inexcelsa et praelustri,*  
*Palladis arce licet, sincere*  
 15 *Musarum celebrare Sophiam,*  
*Culmina cunctaque scandere laeta.*  
*Suadeo sic pergas inceptum,*  
*Sicque et divum tendere cursum.*  
*Vt tandem lux sis patriae, sic*  
 20 *Postea clara solique micanti.*  
*Sic tua fama manet terris, dum*  
*Cuncta pervolvit sidera coelum.*

Georgius Zethraeus  
Schiedvimont. S.

45. Adr: Petrus Andreae – Aut: Johannes Raulinius (cf.36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Martis ut et mortis fera spicula nunc reverentur,  
 Artis ut et moris nulla trophaea valent.  
 Quid nisi lethivomi Mavortis in orbe phalanges  
 Laudantur? Pallas laudibus ecce caret!  
 5 Sed superis mens est aliena; Togam quia doctis  
 Cum studijs junctam rite valere volunt.  
 Jurgia namque volunt stygias Acherontis ad undas  
 Pertineant, Pacem cum studijs adamant.  
 An stolidi melior mens mente DEum, mihi, mundi  
 10 Dicas? nonne dijs mens melior superis.  
 Cur superis similes sunt Pacis et Artis alumni,  
 Ac ab ijs tandem commoda multa ferunt.  
 Hosce viros inter cum conglomerandus es unus  
 PETRE togam, Musam quod vigil ipse colis.  
 15 Commoda multa feres, et summa palatia caeli  
 Possideas, immo dona solique poli.

*VOTUM.*

Sit comprecor jucunditas,  
 Sit gratulor commoditas,  
 Modulor tibi sit svavitas,  
 20 Meditor sit ac amaenitas  
 Tibi, quam caelites volunt

Quam candidae Musae vovent,  
Poetae quam pij canunt,  
Viri quam docti conferunt.

Debiti honoris ergo F.  
JOHANNES RAULINIUS

46. Adr: Petrus Andreae – Aut: Joannes Raicus (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ingens cum sit laus didicisse fideliter artes,  
En tibi percelebris laus et honos venient.  
Laus et honos venient; quid agam? cum non mihi docta  
Lingua? tamen votum fundo tibi meritum.  
5 Tu valeas multum famaue superstes in aevum  
Permaneas, doctus tuque Magister eris.

Gratulab.  
JOANNES RAICUS

47. Adr: Petrus Andreae – Aut: Ericus Bergius (cf. 36)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Est miser, est demens, animum dementia cepit,  
Qui modo sisyphias, quaerit avarus opes.  
Divitiae pereunt, flamma crepitante cremantur;  
Ast manet ars, nunquam succubuisse potest.  
5 Hoc dicit PETRUS, Sophiae parnasside<sup>19</sup> tanta,  
Lauro qui cinctus; huic datur almus honos,  
Exornes Spartam, prout condecoraberis ipse,  
Vt facias vegetus, detque juvetque DEVS.  
Ad pia propensum Dominum mea vota vocabo,  
10 Sic poteris tandem, scandere ad astra poli.*

ETEOSTICHON.

*Annum, Diem, Mensem, Locum et Personam complectens.*

*MartIVs est qVartVs, poL! qVo ferebantVr honores  
Dorpati PETRO! Tanta brabea tVLIt.<sup>20</sup>*

Moris et amoris ergo  
deproperabat  
Ericus Bergius Smal.

48. Adr: Petrus Andreae – Aut: Benedictus Baazius (Encomiasticon de celebri ingenuarum artium praestantia, quod in /.../ Academia Dorpatensi Livonorum, /.../ ad diem 28. Martij, anni currentis 1633. memoriter decantavit /.../ Petrus Andreae /.../ - Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius)

SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimo ac Doctissimo viro  
Dn. M.PETRO ANDREAE Arbogia  
Sveco Fratri et amico sincere colendo, ex memoriae*

<sup>19</sup> *parnaside* S H : *parnasside* corr

<sup>20</sup> Eteostichon annum 1633 exhibens

penu publice peroranti,  
A. M. M. q.

*Conatum egregium celebrem cum laude Magister  
Petre refers, magnus te comitetur honos.  
Perge bonis caeptis, genio celebrariet acri  
Crede mihi, tandem sic duplicetur honor.*  
5 *Obvia nam cuivis non sunt, mi Frater amande,  
Tanto conatu praemia digna viri  
Vive igitur felix multos in Nestoris annos  
Versibus ardenter, gratulor hisce tibi.*  
10 *Carmina quae scripsi tenui modulamine sume  
Pectore nunc voveo prospera cuncta tibi.*

Tumultuario et properante  
calamo L. m.que F.  
M. Benedictus Bazius

49. Adr: Petrus Andreae – Aut: Nicolaus Laurentii <Aritander> (cf. 48)

SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Qui nitidas gemmas, rutilum quoque praedicat aurum.  
Effertur vulgo a plebejo laudibus almis.  
Et qui divitias faedas mercator avarus  
Congerit, is summa nequaquam laude carebit:  
5 *Ast erit in vili precio qui praedicat hasce  
Gemmas, quas tineae possunt arrodere morsu.  
Ast erit in vili numero qui colligit hasce  
Gemmas, quae possunt subita rubigine laedi.*  
10 *Tu Petre frater amande mihi, perdocte Magister,  
Nobilia Sacris Cantas praeconia Musis,  
Nobilia feres (en) praemia magna laboris.  
Macte tuis ceptis Encomia dicere digna  
Castaliis studiis, nam dat fortuna labori  
Doctrinam, ingenium quoque consilium, auxiliumque*  
15 *Hinc bona cuncta tibi frater contingere votis  
Optat per magnis mea nunc neglecta Thalia.*

Moris et amoris ergo  
Contubernali et fratri suo charissimo lubens apposuit  
M. Nicolaus Laurentii Nycop.

50. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Georgius Mancelius (Disputatio physica de terra. Quam /.../ in Regia Academia Dorpatensi, sub praesidio /.../ Henrici Oldenburgii /.../ publicae disquisitioni submittit Nicolaus Prytz /.../ ad diem 4. Maij /.../ - Dorpati Livonorum 1633: J.Pistorius)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*ADONICVM*  
*Ornatissimo et Doctissimo*  
Dn. RESPONENTI,  
*de TERRA, communi Matre disserenti*

Est homo terra,  
est homo terrae

nil nisi massa,  
 fabrica massae.  
 5 Cur igitur sic  
 pectora turgent  
 dic HOMO, fastu?  
 Discito, terram  
 quam pede pulsas,  
 10 esse parentem,  
 unde creatus:  
 quaeque recondet  
 post obitum, te:  
 discito tandem.  
 15 Contrahito ergo  
 turgida vela, et  
 esto modestus.  
 Est homo terra,  
 est homo terrae  
 20 nil nisi massa,  
 fabrica massae.  
 Hinc NICOLAE,  
 conamina laudo  
 et studium. De  
 25 matre benigna  
 disseris: unde  
 ex animo ti  
 gratulor, o PRYTZ.

Currente calamo sub meditationibus sa-  
 cris 11. April. Anno calamitatu<m> pleno  
 1633. I. scribb.  
 GEORGIUS MANCELIUS  
 SS. Th. Licentiatu, Prof. ord. ad  
 Divam B. Joann. Pastor primarius, et di-  
 strictus Dorpat. Praepositus.

51. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Benedictus Baazius (cf. 50)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Nunc dabit Aonius chorus en tibi nomina magna  
 quod TERRAM ex qua ros, nebulae sunt atque pruinae  
 Cognoscis, de qua gentes quoque in orbe creatae,  
 Ac in quam properant, via quae manet omnibus una,*  
 5 *Felices nimium, quibus est animus Nicolai  
 Virtutis, studii et, qui sugit nobile nectar.  
 Perge bonis avibus, patriae lux, atque potenti  
 charus eris Domino nostro super omnia magno,  
 quem precor, ut pronis nunc auribus audiat atque*  
 10 *accipiat, quae verba rogantia pectore versu hoc  
 profero; scilicet ut maneant tibi prospera cuncta,  
 Et studii tandem ut possis pertingere finem,  
 ac sic digna brabaea feras, et praemia justa:  
 Vale igitur felix, faustus nunc vivo perpes*  
 15 *utque animo grato, mea carmina suscipe scripta.*

Viro virtute et eruditione ornatissimo, harum auctori  
et defensori solertissimo, fratri et amico dilectissi-  
mo amoris attestandi gratia faciebat  
M. BENEDICTUS BAAZIUS.

52. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Petrus Andreae (cf. 50)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Asclepi-Glyconico.*

Docta mente subis dona capessere  
Nympharum bona, quando genetalia  
Inter corpora mundi quatuor probe  
Tractas, candidus, unum grave, nomine  
5 Tali: Terra vocabitur:  
Nunc quas, Docte, theses scripseris, has bene  
Prytz defendito Niclae tuas: Eris  
Doctus, percelebris, charus Apollini  
Docto: Marte tuo semper eris quoque  
10 Praeclarus patriae; vale.

fraterna et amica manu s.  
M. PETRUS ANDREAE Arbogia Wes. Suecus.

53. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Andreas Laurenus (cf. 50)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Docta Thalia  
dic mihi quantis  
laudibus ornem  
PRYTZION huncce?  
5 Dic mihi Musa  
cingere num fas  
hunc Nicolaum  
Tempora lauru?  
Namque suadet  
10 Docta Camoena  
Palladis artes  
Qui coluerunt  
laudibus esse  
afficiendos,  
15 Nec superari  
Mille Thaleris  
hancce Minervam  
posse fatetur.  
Nonne videbis  
20 optime PRYTZI  
Nocte silenti  
Quid sibi quaerat  
ardua virtus?  
Gratulor ergo,  
25 ausibus altis  
Et precor adsit  
cunctipotentis

Nutus amicus.  
 Atque beeris  
 30 laudis honore  
 omne per aevum  
 Sic studiorum  
 Transige cursum!

Τῆς τιμῆς καὶ φιλαδελφίας ἕνεκα  
 ἔγραψε  
 ANDREAS LAURENIUS Svecus

54. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Ericus Bergius (cf. 50)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Si possem laudes conscribere carmine pulchro  
 vellem, cum prodit docta Minerva tua.  
 Ad sacra musarum te nunc properare videmus,  
 Quae multum jam nunc utilitatis habent.  
 5 Qui in terris vivit, terram cognoscere oportet,  
 Hoc equidem doctus, PRYTZIUS ipse facit.  
 Author qui Thesium, simul has defendere tentat,  
 Praeside sub Claro, quos manet almus honos.  
 10 Macte animi egregijs, pergas insistere caeptis,  
 Quae referent quondam digna brabae tibi.

Non tam moris, quam animi candoris  
 ergo deproperabat  
 Ericus Bergius Smal.

55. Adr: Joannes Raulinius – Aut: Fridericus Menius (Oratio de beneficiis Gustavi Adolphi in  
 Universam Livoniam collatis. Habita in Regia Academia Dorpatensi a Ioanne Raulinio. – Dorpati  
 Livonorum, 1633: J.Pistorius)

Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ad Ornatiss. et Doctiss. Juvenem*  
 Dn. JOANNEM RAULINIUM.

*Livoniae nostrae GUSTAVUS Rex benefecit,  
 Et quoque jam Regi tu bene JANE facis:  
 Ille, quod illius tandem fundamina jecit,  
 Illius tu quod laude peracta vehis.  
 5 Hem cecidit, sed corpore, longum fama manebit,  
 Quod facis, ex illo, te quoque, fama manet.*

FRIDERICUS MENIUS P. L. Hist.  
 et Antiq. Prof. P.

56. Adr: Joannes Raulinius – Aut: Johannes Caspar Merclinius (cf. 55)

Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Sint Maecenates, nec desint Flacce Marones,  
 Pieridum lacrumis Bilbilides queritur.  
 Hancce tuus minime destillat Sermo querelam,  
 RAULINI, Reges dum favet aura tibi.  
 5 Sed vix surgebat prima tua messis in herba,  
 Proh dolor, a Borea quae reboante jacet.  
 Ergo tibi, JESUM Musarum quaere Patronum,

Quo Fautore nihil Parca maligna nocet.

ἄυτοσχεδιαστὴ  
Johannes Caspar Merclinus  
Franco Poëta L.

57. Adr: Joannes Raulinius – Aut: Jonas Lannerus (cf. 55)

Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Avgustum rutilos terrarum pervolat orbis,  
Nomen Alexandri, qui fuit ense potens.  
Per scopulos, syrtes, per aquas, per tesque ferarum  
GVSTAVI nomen REGIS et usque meat.*  
5 *Gloria non Martis, sed eum virtutis et Artis  
Fama reddiderant arma simul celebrem.  
Hoc quoque Raulini testaris, testis et opto  
Sis, fuerit vitae spes quoad ulla tuae.*

In mutuae amicitiae tesse-  
ram script.  
JONAS LANNERVS.

58. Adr: Petrus Joh. Turdinus – Aut: Andreas Virginius (Honoraria, quibus /.../ Petro Joh. Turdino, Both. S. 8. Octob. anno 1633 in /.../ Livonorum Academia Dorpatensi summum in philosophia gradum accipienti. /.../ Decano facultatis philosophicae /.../ Henrico Oldenburgio oratoriae et poëseos professore /.../ gratulabuntur praeceptores populares et amici. – Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius)

H (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

In lauream Philosophicam  
Praestantiss. ac Doctiss. Dn. PETRO JOHAN-  
NIS TURDINO collatam.

Tv *PETRE, tu nosti: DIDICISSE FIDELITER ARTES  
quid sit: quo valeat; quid possit vivida virtus.  
Nam qui Majorum prognatus sanguine honesto est,  
Et qui animum excoluit studiis sollerter honestis,*  
5 *nae! Verae is PETRAE numeros partesque tuetur.  
Talibus ornatum quem quum scit dotibus, ecce,  
TE, PETRE, Philosophum titulo turba auget honesti,  
nomine nil prorsum addubitans ornare MAGISTRI.  
Macte animi, quem rarus habet, TVRDINE: bonoque*  
10 *Numinis arbitrio magnis insistere rebus  
pergito, depromens sic naturalia dona.*

Ita gratulabundus cecinit  
ANDREAS VIRGINIUS SS. Theol. D.  
et Profess. Primarius, nec non p t. Rector.

59. Adr: Petrus Joh. Turdinus – Aut: Fridericus Menius (cf. 58)

H (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

En PETRE, quid referas jam? dia *repagula* COELI?  
Non, sed *MUSARUM castra* aperire juvat.  
*Pisces* atque *homines* hic coepit; tu *argumenta*;  
Sanctus es? Ille *MAGIS*; TER mage doctus eris.

FRIDERICUS MENIUS P. L. C.

60. Adr: Petrus Joh. Turdinus – Aut: M. Nicolaus Nycopensis (cf. 58)

H (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

Cum quid praeclarum condigna laude patratur  
 Protinus id chartae, ne perimatur, habent,  
 Certum est, sunt multi quos virtus bellica claros  
 Efficit et celso nomine tollit humo,  
 5 Sunt multi Pactoli aurum quos tollit in altum  
 Cujus Fama etenim semper honore viget,  
 Aurea purpureis quos semper fama quadrigis  
 Vexit ad astriferi lucida texta pepli  
 Ast horum nihil est famam praeconis opella  
 10 Dicere, quae ceteri sit peritura pede.  
 S<e>d *Turdine* tuis melius contendere caeptis  
 Efficis unde tuo dona labore capis.  
 <...>que sequi A<onides>,<sup>21</sup> Phoebum, Sophiamque novenam,  
 Ch<a>sta <...>mque<sup>22</sup> choros volvere cura fuit.  
 15 <T>e<sup>23</sup> manet inde decus magnum, virtusque perennis  
 Crescit, et ingenium laudis honore viret.  
 Ergo Magisterii merito tibi grator honores  
 Musarum peperit quos tibi dulcis amor.  
 Perge, velut pergis doctas adamare Camoenas,  
 20 Et charus charis, gratus erisque Deo.

Honoris et amoris ergo scribebat  
M. NICOLAUS NYCOPENSIS.

61. Adr: Petrus Joh. Turdinus – Aut: M. Petrus Andreae (cf. 58)

H (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Grandisonam quando Citharam Rhodopeius heros  
 Assumpsit patris ut tractaret pollice chordas,  
 Nil grati primum manibus digitisque movebat,  
 Rite nihil potuit numeros discernere vocum,  
 5 Sed plus raucisonos pulsabat pectine cantus,  
 Ast ubi caeptam dein urgeret crebrius artem,  
 Admisit Lyra suavisonum per plectra tenorem:  
 Improbus haud Turdine, aliter labor ardua vincit,  
 Cuncta rependet huic, Sophiae qui lactat in ulnis.  
 10 Dic mi ergo nervos animis coluisse per artes,  
 Non prodest? Imo: nam huc Phaebus tempora lauro  
 Textit, et hinc meritis rutili de fronde corona  
 Viva datur, nullum quae sit peritura per aevum.  
 Ut ferat ergo hic (quem ex animo sat grator honorem)  
 15 Undique mille tibi Petre commoda, numina posco.  
 Macte tuis donis (ceu fas est) utere gratus,  
 Sic Domino et Patriae sic sis decorique tuorum,*

<sup>21</sup> Textus corruptus H<sup>22</sup> Textus corruptus H<sup>23</sup> Textus corruptus H



*Sudori videas bona, semper inesse; valet.*

Eteostichon

*Annum, Mensem, Diem, Locum et Personam complectens.*

20 En peragVntVr VbI zeLotIs festa SIMonIs,  
DorpatI PetrVs IVsta braebeIa LegIt.<sup>24</sup>

M. PETRUS ANDREAE  
Arbogia-Wesmannus.

62. Adr: Petrus Joh. Turdinus – Aut: Reinholdus Buchshöfden (cf. 58)

H (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

Sunt quos blanda Venus, quos divi munera Bacchi  
Flexere a recta et dexteriore via.  
Et juvenum haud paucos, pigra desidis ocia vitae  
Delectant, gratos vel celebrasse jocos.  
5 Ast aliter tibi Turdin tu bene consulis, altam  
Cui Pallas mentem finxit et arte juvat.  
Praeceptis animum firmas virtutis amandae  
Ut patriae prosis, sedulitate pia.  
Tu solium scandis sublime in arce Minervae.  
10 Et laurum repetit sic caput hocce tuum.  
Hisce Deum veneror summum, conatibus adsit  
Te servet salvum pro bonitate sua.

Amice congratulatur  
REINHOLDUS **Buchshöfden** Nobil. Livon.

63. Adr: Petrus Joh. Turdinus – Aut: Bernhardus Below (cf. 58)

H (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Fertur Epicteti quondam laterna ducentis  
Drachmis, et Protei baculus venisse talento.  
Dic quid amabo tibi, Lector Philophaebe, videtur,  
Quanti vendenda est hodie Peneia Laurus?  
5 Forsan, non emit hanc, inquis, mercator Eous,  
Namque apud hunc vincit Daphnen abjecta saburra.  
Ficubus ergo decet coenosos pascere porcos?  
Lactucas labra habent similes; pigro quid Asello  
Cum cythara? Nec eos thesauro hac innuo dignos,  
10 Sed procul a sacris Phoebi reor esse movendos.  
Tu vero, TVRDINE, viam Virtute viante,  
Ardua praecipitis scandetem culmina Pindi,  
A Muis Claria contextam fronde coronam  
Rite <...><sup>25</sup> studio vigilique labore parasse  
15 Laudo et sincere ceu fas est grator: Honori  
<...><sup>26</sup> Laurus, longum vive, et post fata viresce.*

In gratiam Dn. Candidati praepro-  
pere fundebam  
BERNHARDUS **Below** /

<sup>24</sup> Eteostichon annum 1633 exhibens

<sup>25</sup> Textus corruptus H

<sup>26</sup> Textus corruptus H

64. Aut: Petrus Andreae (Encomiasticon de celebri ingenuarum artium praestantia, quod in /.../ Academia Dorpatensi Livonorum, /.../ ad diem 28. Martij, anni currentis 1633. memoriter decantavit /.../ Petrus Andreae /.../ - Dorpati Livonorum, 1633: J.Pistorius ) (s. 48-49) SKB, H, [Tartu UB]  
ENCOMION

Si prodest varias hominum perpendere curas,  
 Quas tellus spacio continet ampla suo,  
 In patulo rerum nihil est praestantius orbe  
 Artibus, insignis quas comitatur honos.  
 5 Curia, Templata, Scholae florent florentibus illis,  
 Si langvent, langvent Curia, Templata, Scholae.  
 Caetera quae cernis toto sub climate mundi,  
 Praecipiti intereunt singula quaeque modo.  
 MUSA DAT UNA DECVS, Ditis post ultima fata  
 10 Fama ruit, constans MVSA DAT VNA DECVS.  
 Artes egregias et doctae noscere linguas,  
 Et mores cultos discere poscit honos.  
 Praemia virtutum nobis hinc inclyta dantur,  
 Praemia quae nullo sunt reticenda die.  
 15 Harum cum tentem praeconia dicere digna,  
 Omnia quae nitidae semina laudis habent.  
 Primum compello te Illustris et Inclyte praesul,  
 SKYTTE, columna choris fulgida Castaliis.  
 Te Baro Illustris Praeses celeberrime SPARRE,  
 20 Qui patriae stirpis nobile nomen habes.  
 Te quoque *Skyttiadum* proles JACOBEBE parentum,  
 Qui Rector juste docta Lycea regis.  
 Vos Assessores qui vincula solvitis Aequi, et  
 Monstratis juris dexteritate plicas.  
 25 Vos quoque Doctores celebres, Doctique Magistri,  
 Quos celebratque suos, nostra Thalia Duces.  
 Teque Novenarum perpulchra corona Sororum,  
 Quae colis Aonii, culmina clara, chori.  
 Vos mihi, quaeso locum paulum concedite dextrum,  
 30 Vt venia salva carmina pauca canam.  
 Et vobis quae animo dicturus disticha tendam,  
 Pectore cum placido et mente fovete, rogo.  
 Doctus Aristippus quaesitus tempore quondam,  
 Quid gnato prosit, docta Minerva, suo?  
 35 Commoda quaeve ferant fulgentis Apollinis artes?  
 Quid prosit linguas edidicisse bonas?  
 Huic in consulto, a cuncta ratione remoto,  
 Affabre properans, talia verba dedit:  
 Quisquis non flagrat versari in Palladis arce,  
 40 Poscens Parnassi vincere montis iter.  
 Quique cupit nunquam Clariis luctarier arvis,  
 Arida Castaliis ora rigare vadis,  
 Nominis is fama non est laudabilis ulla,

Sed numero faedo, faedus habendus erit.  
 45 Notificat fatum clara hac sub imaginis umbra,  
     Aonio quorum pectora tincta lacu  
 Non sint, Musarum neque mens est castra secuta,  
     Horum non prosint usus, et ingenium.  
 Errans sed veluti navis mare cum petit altum,  
 50 Cui nautae cauti vela secunda dabant,  
 Propositi cursus vestigia nulla relinquit,  
     Sed vadat incerto pervia quaeque pede.  
 Sic: qui Thespiadum suaves non hauserit undas,  
     Et nec Musarum dulcia labra petit,  
 55 Is monumenta suae contemnit linquere vitae,  
     Nequaquam potis est sumere laudis opes.  
 Sed spretus ducit tanquam juga barbara servus,  
     Pauperie summa vincula dura ferens.  
 Quidam mechanicis sua dedunt tempora rebus,  
 60 Consumunt annos inde labore gravi.  
 Quidam magnanimis animis et Marte potentes,  
     Discipiunt forti, bella cruenta, manu.  
 Quidam praeponunt torporis ducere vitam  
     Et Junonis aves tradere luxuriae.  
 65 Horum quos mores vitae describit Homerus  
     Versibus excellens ille Poëta suis:  
*Non (inquit) pugnis exercent membra palestra,  
 Sed mensam et Citharae strepitum dulcesque choreas,  
 Stragulaque et molles curant post balnea lectos*  
 70 *Non fodere illi agrum, durisve ligonibus arva  
 Vertere, non illi vixerunt artibus almis,  
 Sed pulchrum fuit in medios dormire dies et  
 Ad strepitum Citharae cessatum ducere curam.  
 Sic placet, haud prodest vitae indulgere furenti.*  
 75 Sed quid foedius his, quid, quaeso, turpius illis?  
     Qui nisi pigritiam desidiamque colunt?  
 Exitio sunt hi patriae, simul urbibus amplis,  
     Quorum segnities vertere regna studet.  
 Regibus hi (veluti censes perdocte Catulle)  
 80 Foeda sunt scabie, causa nociva, bonis.  
 Militiae, domui non sunt, sunt artibus apti,  
     Vita sed est horum res odiosa DEO.  
 Commendant alii faecundas vertere glebas  
     Et studio magno condere semen humo.  
 85 Et terrae duros de cespite frangere campos,  
     Vomere cum pergunt findere rura, boves.  
 Viniferam Cererem terrae committere sulcis,  
     Mergere pinguifero, semina laeta, solo.  
 Vt tandem falcis curvamine farra Colonus,  
 90 Dulcia sollicitus quaeque secare queat.  
 Commendant alii pelago perquirere merces,  
     Quo cumulentur opes, divitiaeque vafrae.

Et penetrant terras alieno sole calentes,  
     Longinqua lucrum sic grave merce ferunt.  
 95 Sardonichos lapides, preciosos atque Smaragdos  
     Colligit a longis, vector avarus, aquis.  
 Nonnulli currunt extremos Gangis ad Indos,  
     Perpulchraeque sibi pignora mercis emunt.  
 Commendant alii varios ratione colores  
 100      Miscere, et formam pingere posse parem.  
 Occultam laudant exponere corporis umbram  
     Posse probe, et faciem cudere flore suo.  
 Quales sunt Zeuxis doctus, quoque clarus Apelles,  
     Qui cunctos superant artis honore suae.  
 105 Horum pingendi mira experientia multos  
     Evincit summa dexteritate viros.  
 Commendant alii varios de marmore vultus,  
     Ducere, quos vanus composuisset homo.  
 Fingere Phidiaca et de saxo marmoris ora  
 110      Extollunt multum mollia posse manu.  
 Et simulachra auro quoque duro insculpere cupro  
     Laudant res variis condecorare modis.  
 Laudantur miris emblemata Daedala formis,  
     Laudantur nimium candidum ob artificem.  
 115 Sed tenebras noctis cum Sole micante diei,  
     Quis recte similes aequiparare potest?  
 Quis Musis vanos poterit conferre labores?  
     Exiguus rebus jungere magna valet?  
 Ni pluris colere est agrum, in quoque vallibus amplis  
 120      Versari, et sulcis grana minuta dare.  
 Quam suavem Aonia vitam tolerare sub umbra,  
     Castalidum culta volvere scripta manu.  
 Quam septos animum Musarum mittere in hortos,  
     Quo lepidis possit se polijisse libris.  
 125 Quis studiis audet faedas componere merces?  
     Quas quaestu falso, falsa cupido, trahit.  
 Per mare quae currit rapidum, per saxa, per ignes  
     Et fragilis vitae mille pericla subit.  
 Contemnens casus, quos sat fortuna minatur,  
 130      Sed pergit variis portibus<sup>27</sup> ire malis.  
 Quid Pictoris opus? tabulae quid splendidae Apellis?  
     Protogenis docti peniculive valent?  
 Carminibus si suavisonis aequentur Homeri,  
     Qui sua Pierijs ora rigavit aquis.  
 135 Composuit multos divino numine libros,  
     Portans ingenij munera pulchra sui.  
 Quid statuae, quaeso, prosunt, ut et aera vetusta  
     Praxitelis? quae sunt confabricata manu?  
 Si cum Musarum conferre vilis monumentis?  
 140      Tum statuis sculptis portio nulla manet.

<sup>27</sup> *portubus* edd : *portibus* corr

Ast quaerat quisquam, num nec mavortia bella  
 Sint potius studiis anteferenda bonis.  
 Clarorum decus haud est detrectare virorum  
 Virtutes nata nobilitate graves,  
 145 Qui valido patriae succurrunt Marte tuendo,  
 Summis proque focis praelia justa petunt.  
 Vt reprimant falsis surgentia fraudibus arma,  
 Ne sua crudeles bella nefanda gerant.  
 Et spoliare malos armis, nudare jacentes  
 150 Hostes, et juste depopulare feros.  
 Interea melius sectari est Palladis artes,  
 Quam clypeos, galeas, scutaque dura sequi.  
 Militis horribilis sonitus nam personat aures,  
 Terrificaque fremit martia, voce, tuba.  
 155 Tympana tanta tonant taratantara, rauca fragorem  
 Terribilem ingeminant buccina, voce fera.  
 Musarum ast cultor concentu et Apollinis arte  
 Demulcere potest, pectora maesta, gravi.  
 Et Citharam tangit digitis praelustris Apollo,  
 160 Percurrens suavis, plectra sonora, lyrae.  
 Ille suis oculis multos ex caede cruentos  
 Concernit, rapida et tela volare videt.  
 Audit et horribili pavidus tormenta fragore,  
 Sulphure fumantes ejaculasse globos.  
 165 Hic cernit sanctae scripturae oracula sacra,  
 Fulgure quae rutilo dogmata viva tonant.  
 Et perscrutatur vasti primordia mundi,  
 Quas rerum causas cura sepulta tacet.  
 Ille arcu petitur celeri juvenilibus annis,  
 170 Quando florentis tempora veris erant,  
 Quo nequit officium vetulus persolvere ceptum,  
 Vnde cicatrices dona laboris habet:  
 Integer hic vivit quoque toto corpore sanus  
 Donec sulcabit ruga honorata cutem.  
 175 Cygneas plumas tunc tempus carpere temnit,  
 Impedit et nigras, alba senecta, comas.  
 Ille cupit patriae longos extendere fines,  
 Vt sic dilatet belliger imperium.  
 Imperium celso ut terris aequetur Olympo,  
 180 Amplum quo nomen spargere fama queat.  
 Hicque voluptatis stimulum de finibus arcet,  
 Discupiens mores cum meliora nota.  
 Mores qui casti vireant in tempora multa  
 Et quorum nescit vivida fama mori.  
 185 Novit is Herculeis urbes evertere scutis  
 Magnas, et variis bella movere modis  
 Et fossas, muros, arces transcendere fortes,  
 Maenia per scalas, scandere summa citas:  
 Vt domet hic novit patriis virtutibus orbem

190 Pacatum, ut vigeat jus per utrumque ratum,  
 In commune bonum totas impendere curas  
 Et durae genti scribere jura studet.  
 Quomodo is ultrici flamma satiare malignos  
 Conatus, aut per fasque nefasque cupit.  
 195 Quidve mali fuerit passus, non linquere inultum,  
 Vindice sed dextra poscere perguit avens.  
 Ast venit hic manibus ramos praetendere pacis  
 Et summis votis, pacifica arma, rogat.  
 Haudquaquam gaudet vindicta sumere poenas,  
 200 Sed semper tutae vincula pacis amat.  
 Discere sacrorum primum ergo dogmata librum  
 Prodest, nam faciunt ad bona vera viam.  
 Discere dein claras praestantis acuminis artes  
 Prodest, hinc florent curia, templa, domus.  
 205 Carminis incepti finitus terminus esto  
 Et veniam placido pectore, quaeso, date.  
 Quod superest, Regem, quem terra atque astra verentur,  
 Sollicito voto et supplice corde precor,  
 Vt Mater regni maesta (heu) *MARIA ELEONORA*  
 210 Suediaci vivat florida, firma, pia.  
 Et simul accrescat *princeps* hinc *nata tenella*,  
 Haeres quae patrij est proxima jure Soli.  
 Floreat atque inter *proceres* concordia regni,  
 Custodes tabulae sint utriusque precor.  
 215 Nam pater occubuit patriae *GUSTAVUS ADOLPHUS*,  
 Occubuit Clariis, tuta columna, choris.  
 Is primum Aonij jecit Collegia tecti  
 Dorpati Livonum, commoda magna ratus.  
 Contulit isque viris doctis stipendia larga,  
 220 Artibus adjungens non leve pondus opum.  
 Occubuit (dixi) caput insuperabile Marte,  
 Marte tamen cubuit Rex (dolor) ipse Ducum.  
 Audiat hinc Dominus Sueciam sua vota ferentem,  
 Illam magna Dei nominis umbra tegat.  
 225 Pontificis fraudes doceat convellere verbis  
 Eque ferat sacra sede Sionis opem.  
 Omnia quae cupiat Deus omnibus annuat horis,  
 Optatum voti compleat omne sui.  
 Missa suo aspiret coelo fortuna labori,  
 230 Inceptis veniant, fata secunda, suis.  
 Confidunt in equis, hostes, bigisque rotarum,  
 Haereat in nostro, spes rata nostra, Deo.  
 Is Sueciam, coelo residens exaudiat, opto,  
 Tota salus ab eo non aliunde venit.  
 235 Sic Suecia incultis sua nomina gentibus edat,  
 Et grates dicant, secula cuncta, Deo.  
 Quod tot dona suae Sueciae felicia gratis  
 Confert, et populum signat honore, suum.

Dein precor optatam pacem det summus ab altis,  
 240 Omnia qui stabili lege creata regit.  
 Et cum extrema dies perituro illuxerit orbi,  
 Tendamus summi, ad culmina celsa, poli.  
 Quandoque cessabit mundana corona vigere,  
 Incupiant patris, regna beata, Dei.  
 245 Audiat haec mare, qui terram, coelumque gubernat,  
 Cui laus, summus honos, gloria maxima, Amen.

## 1634

1. ADR: Benedictus Brusaeus – AUT: Georgius Mancelius (Disp. theologica de aeterna hominum in fide justificante ad finem usque vitae perseverantium praedestinatione, atque in finali in credulitate persistentium reprobatione. Quam /.../ in Regia Academia Dorpatensi sub praesidio /.../ Andreae Virginii /.../ publice defendet Benedictus Benedicti Brusaeus /.../ d. < > Decembr. /.../)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ornatissime et Doctissime*  
 Dn. BENEDICTE BRUSAE:

Praeside VIRGINIO DOCTORE edissere laetus  
 summi seclusa et sanctissima dogmata JOVAE:  
 QVOS DEVS omniscius PRAESCIT, PRAEDESTINAT HOSCE:  
 QVOS DEVS altitonans PRAEDESTINAT, HOS VOCAT ipsos:  
 5 QVOS VOCAT, HOS et JUSTIFICAT: sed JUSTIFICATOS  
 GLORIFICAT tandem. *O Mundum Pater optimus ardet!*  
 Haec, BENEDICTE, pio spatiosa volumina sacri  
 codicis adgrediens perpendito pectore: deinceps  
 Praeside VIRGINIO DOCTORE edissere laetus.

GEORGIUS MANCELIUS  
 SS. Th. Licent. ejusdemque in Academia  
 Gustaviana Prof. ord. Pastor primari-  
 us, et Proto-Synedrii Adsector.

2. ADR: Benedictus Brusaeus – AUT: Petrus Andreae (cf. 1)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Quod<sup>28</sup> nunquam *veteris* statuere volumina *pacti*,  
 Quod nec certa *novi* firmarunt symbola *facti*;  
 Tu *Calvine* tuo statuis Phantasmate vano  
*Decretum falsum*? Pudeat; desiste maligne,  
 5 Ecce tuas technas, BENEDICTUS franget inanes,  
 En calidas fraudes, et turgida dicta refellet.  
 Hinc BRUSAE tibi, (quod technis verba reponis)  
 Per Christum maneat coelis aeterna corolla,  
 Unde manet sine fine quies, sine fine voluptas,  
 10 Unde manet verae *Benedictio* coelica vitae.

Lubenti animo posuit  
 M. Petrus Andreae

<sup>28</sup> <Quo>d U : Ah calamo correctus

3. Adr: Benedictus Brusaeus – Aut: Christiernus Osaengius (cf. 1)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

## Αὐτοσχεδιάσμα.

*Ecquis te docuit, fallax Calvine, furenter*  
*Scriptis et verbis electos dicere quosdam,*  
*Et quosdam reprobos actos, conamine falso?*  
*Nonne Sathan technis mendacibus indidit olim,*  
 5 *Mentibus aversis blasphema hac dogmata? certe.*  
*Hoc etenim meritum Christi deturbat, et omnes*  
*Mortales subito, spoliat spe forte salutis.*  
*Sed per Lutherum res est percognita tota,*  
*Quippe fide cerni cunctos fierique beatos*  
 10 *Scripsit et indemnes voluit non esse rebelles.*  
*Cum studio BRVSAEE tibi vestigia lustras,*  
*De facili poteris dictum confundere nequam,*  
*Sicce fide Christus te Electum semper habebit,*  
*Nomen ut importat benedictus sis Benedicte*  
 15 *Et benedicti sic benedictio sit tibi praesto.*

παλαιαδελφίας χάριν amico suo cer-  
 tissimo L Mque lubens apponere  
 voluit ac debuit  
 M. CHRISTIERNUS OSAENGIUS  
 Annerstadia-Svecus

4. Adr: Benedictus Brusaeus – Aut: Nicolaus Olai (cf. 1)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Absolutum sanguine crete dire*  
*Non decet, Calvine, probes inani*  
*Mente decretum, quoniam id negarunt*  
*Dogmata dia.*  
 5 *Nemini nam janua clausa vitae est,*  
*Sed Deus cuivis homini patere*  
*Fecit, et divina aperire jussit,*  
*Dona salutis.*  
*Hinc frica, Calvine, caput nefandum.*  
 10 *Nam tuas technas, Benedictus apte*  
*Ore nunc docto removebit omnes,*  
*Sacra per arma.*  
*Ergo quos scripsit, Benedicte, Doctus*  
*Doctor, istas arte theses, revolve*  
 15 *Et strophas has Haereticas, retunde;*  
*Salvus abibis.*

Moris et amoris ergo deproperabat  
 Nicolaus Olai Calmariensis  
 Phil. Candidatus.

5. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Georgius Mancelius (Orationum panegyricarum posterior, in /.../ obitum /.../ Gustavi Adolphi /.../ Suecorum, Gothorum, Vandalorumque regis, /.../ habita, qua ἀνδραγαθήματα quaedam trium regum Sveciae, 1. Gustavi I. 2. Caroli IX. et inprimis 3. Gustavi Adolphi, /.../ recensentur, ex historicorum monumentis excerpta ac pronunciata in Academia



Dorpatensi, 10. d. Julij, /.../ anni MDCXXXIV., a Petro Goetschenio, SS. Theol. licent., ejusdemque et  
 Graec. liter. profess. P. – <Dorpati>, 1634: J.Pistorius) H, EAB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

## SUSPIRIA

Qvis non tam *sanctum* REGEM lugeret ademtum?  
 Qvis non tam *fortem*, et *magnum* lugeret ademtum?  
 In bello cecidit PATER (ah!) PATRIAE funesto!  
*Thr. 5.10.* Hei! dolor! hei! *cecidit capitis nostrique corona!*  
 5 Imperii Suecici Diadema jacet! lugeto.  
 Exulat adspectu Caput! oh! Irascitur ille  
 quem coelum metuit, tellus, atque infera regna.  
 Qvotus at est JOVAE qvi rectius aestimet iram,  
 emendet vitam scelerate ac hactenus actam?  
 10 O qvam magnanimus jacet, armipotens simul HEROS,  
*1. Macc. 9.21* qvi ceu terribilis LEO *nos e mille periclis*  
*subduxit, fido et defendit corde popellum.*  
*Thr. 5.15.17* *Deficiunt nobis jam cordis gaudia vere,*  
*est chorus in luctum conversus discruciantem.*  
 15 Visne LECTOR caussam? dico: sunt CRIMINA NOSTRA:  
*ibid. v.16* haec poenam attraxerunt. *Vae peccantibus!* eheu!  
 Interea REGIS, GOETSCHENI, voce diserta  
*tanti* VITAM edissere nobis, GESTA, OBITUMque,  
 nec dubita laudum qvin magna trophaea reportes.

testandi doloris gr. duceb.  
 Georgius Mancelius SS. Th. Licent.  
 Profess. ord. Pastor, et iudicii Ecclesiasti-  
 ci supremi Adessor.

6. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Andreas Virginius (Parentatio Gustaviana, Eller En KlagoPredican  
 öffuer /.../ Gustavi Adolphi Magni, Sweriges, Göthes, Wändes etc. Konüngz och Faders, /.../ dödelige  
 affgäng: H.S.K. Mtt. till en högförtränt ähratiänst och ewighwarande jhogkommelse, anstält och hållen  
 i Narfwen Anno 1633, den 6. Novemb. aff Erico Johann. Falk. Distichon continens Annum, Mensem,  
 diem et locum, in quo: /.../ <Chronogramm: 6.11.1632; Anagramm: Lutzen> – Dorpt, 1634: J.Becker)  
 UUB, SKB, LUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

## EPICEDIVM

In Luctuosum

Serenissimi ac Potentissimi Principis

ac Domini,

DN. GUSTAVI

ADOLPHI

Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regis  
 invicti obitum.

Immanis cum bellua bellum Teutonis oras  
 vastaret misere, VENIT GUSTAVUS ADOLPHUS  
 Sveciae REX inclytus, Heros.  
 Illicitas captarat opes qui Teutonis oris  
 5 turbaratque pios VIDIT GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Sveciae REX inclytus, Heros.  
 Armiferasque manus qui aptarat ad arma cruenta,

auxiliante Deo hunc VICIT GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Sveciae REX inclytus, Heros.  
 10 Non semel, ast iterum immo iterum prostravit is ipse,  
 Christicolae qui vexarant, GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Sveciae REX inclytus, Heros.  
 VENIT, VIDIT, VICIT: at INTERIIT. DEUS audi  
 nostras ergo preces modo, ne simul intereamus,  
 15 devota mente precamur.

Summae devotionis ergo  
 apposuit  
 ANDREAS VIRGINIVS  
 SS. Theol. D. et Professor in  
 Regia Academia Dorpat. Primarius,  
 nec non Supremi Iudicii Ecclesiastici  
 Adessor.

7. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Georgius Mancelius (Concio threnodica, Thet är: En klagho-  
 Predican, Vthöffuer /.../ Gustavi Adolphi /.../ Sweriges, Göthes, och Wendes /.../ Konnungs, /.../  
 Dödh, som vnder Lutz n i Tyskland, vthi en blodigh Slachtning till dödz skütten bleff; Anno partus  
 Salutiferi, /.../ <Chronogr.: 1632> Hållen vthaff Heinrico Martini Kemner, praesidii Dorpatensis  
 pastore. – Dorpati Livonum, 1634: J.Pistorius) UUB,  
 SKB, H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Super immaturum, Triumphal-  
 lem tamen  
 OBITVM  
*Serenissimi ac Potentissimi*  
*PRINCIPIS ET DOMINI, DN.*  
 GVSTAVI ADOLPHI,  
 Suecorum etc. REGIS Augustissimi, an-  
 te, in, et post mortem VICTORIS  
 fortissimi, desideratissimi.

Imperio INDUPERATORIS nil majus in Orbe: ast  
 INDUPERATOREM vicit GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 vicit REX Sueonum, nec-non celsissima REGUM  
 gloria. REX est MAXIMUS, ac *fuit* OPTIMUS ipse.  
 5 Sic? FUIT? heu! fuit! is jacet, eheu! morte peremptus.  
 Ah! serva semper, rogo, CHRISTE, cruore redemptos,  
 Ut TIBI pro meritis persolvant carmina grata.

debita subjectionis et summa condolentia e. f.  
 GEORGIUS MANCELIUS  
 SS. Th. Licentiatus, in Regia Academia  
 Dorpat. Professor ordin. ad D. Joh. aedem  
 Pastor primarius, nec-non Proto-syn-  
 edrii Adessor.

8. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Heinricus Martini Kemner (cf. 7) UUB, SKB, H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

PALLADIUM,  
*In obitum praeproperum et luctuosum*  
 Serenissimi, Clementissimi, Potentissimique Prin-  
 cipis et Domini,

Dn. GUSTAVI ADOLPHI II.  
 Dei gratia, Suecorum, Gothorum, Wandalorumque etc.  
 Regis semper Victoriosi, Heroisque bellicosissimi.

*Armipotens Rex Suecorum GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Inclyta SPES patriae: Regum FLOS; atque CORONA  
 Virtutum: fidei CUSTOS; quoque VICTOR et HORROR  
 Caesaris: Excellens cujus laus cognita terris,  
 5 Semper ubique triumphavit, superando inimicos,  
 Nomen ALEXANDRI is MAGNI cum laude reportat!  
 Quid? VICIT. JACET en VICTUS! qui tempore longo  
 Vivere dignus erat, cubat is nunc ense peremptus!  
 In media vitam pugna fundens animose.  
 10 VICIT Rex, VICTORque fuit, nunc ecce TRIUMPHAT!  
 In coelos animam superi mox surripuere.  
 O MORS ore vorax, satiata cadavere nullo!  
 Cur tantum feritatis habes? non forma movet te!  
 Bellica nec flectit virtus, generisve propago!  
 15 Omnia deglubis, Regem cum milite subdis.  
 O generi MORS mortali, quam dira propinas!  
 Plangite vos Sueones: CUSTOS, SPES, VICTOR et HORROR,  
 Eheu! FLOS subito cecidit, capitisque CORONA!  
 CHRISTE tuum caetum regito, ne Marte labascat,  
 20 Fac ut succrescat semper DEUS omne per aevum.*

In perpetuae submissionis, debitaque animi condolentiae  
 τεκμήριον ab  
 authore erectum.

9. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Timotheus Polus (LXXXIII. chronosticha, sive LXXXIII. versus hexametri, certos annos literis numeralibus designantes, et /.../ Gustavi Adolphi, Suecorum etc. Regis invictissimi et vere augusti vitam, res gestas, triumphos ac mortem /.../ delineantes /.../. Dorpati Livonorum, 1634: J. Pistorius)<sup>29</sup> UUB, [Tartu UB]

ENCOMION

LXXXIII. CHRONOSTICHA,  
 Sive LXXXIII. Versus hexametri,  
 Certos annos literis numeralibus designantes,  
 ET  
 GLORIOSISSIMI HEROIS AC DOMINI, DOMINI  
 GUSTAVI ADOLPHI,  
 Suecorum etc. Regis invictissimi et vere Augusti  
 Vitam, Res gestas, Triumphos ac Mortem gloriosissimam breviter delineantes.  
 CELSIS, ILLUSTRIBUS ET GENEROSIS DOMINIS  
 DOMINIS QVINQUE REGNI ADMINISTRATORIBUS, UT ET RE-  
 linquis Regni Dnis. Senatoribus universis ac singulis humilimo  
 animo consecrati.

<sup>29</sup> Editio in: E.-L. Jaanson, *Tartu Ülikooli trükikoda 1632-1710. Ajalugu ja trükiste bibliograafia*. Tartu: Tartu Ülikooli Raamatukogu 2000, 48.

		Anno	Mense	Die
	<i>In SVEdIa parItVr DIVVs GVstaVVs ADoLphVs.</i>	1594	Decembr.	9
	<i>Regna paterna, graDVM frenosqVe CapessIt et ornat.</i>	1611	Octobr. <sup>36</sup>	12
*d'1'	<i>Ferro MaCtatVr NeogardIa RVssa parato.</i>	1611	Julius	15
Gardie	<i>HorrenDo RVssos terrebat Marte *IaCobVs.</i>	1611		
5	<i>A DanIs SVEdI paCantVr praesIde Rege.</i>	1613	Januar.	20
	<i>SternIt, PLeskoVIaM prope, RVssos ensIs ADoLphI.</i>	1614		
	<i>GVstaVo MosChI sponDent sVb Rege BrItanno.</i>	1617	Februar.	27
	<i>En a MosqVo aeterna toga et proVInCia DantVr.</i>	1617	Jun.	1
	<i>OrnantVr GvstaVI tIMpora<sup>30</sup> Dote Coronae.</i>	1617	Octobr.	12
10	<i>IVre MarItaLI VenIt ELEonora<sup>31</sup> fIDeqVe.</i>	1620	Novemb.	25
	<i>RIga LIVonensIs, per VIM sVperarIs ADoLphI.</i>	1621	Septemb.	16
	<i>TV ChrIstInaM eDIs RegIna, IVVante IehoVa.</i>	1626	Decemb.	8
	<i>Heros SVEdorVM sVperat CogItqVe BorVssos.</i>	1626	Julius	15
	<i>AptVs GVstaVVs StraLsVnDIn LIberat arMIs.</i>	1628	Julius	28
15	<i>TVta VenIt reqVies SIgMVnDo, paCe seqVestrI.</i>	1629	Septemb.	6
	<i>InsVLa RVIa feraX gaVDebat MIllte<sup>32</sup> RegIs.</i>	1630	Mar. et Ap.	
	<i>In SVEonIs DeXtras sVbIt PoMeranIa teLLVs.</i>	1630	Jul. et Aug.	
	<i>NVMen IVDICII ReX TarpatensIbVs offert.</i>	1630	Septemb.	26
	<i>TV qVoqVe GVstaVo, MegabVrga, DeCenter es aptae.</i>	1630	Septemb.	7
20	<i>Dorptae GyMnasII LVX en tIbI LIVo paratVr.</i>	1630	Octobr.	13
*ad	<i>TV ReX GaLLorVM GVstaVo faeDera pangIs:</i>	1631	Januar.	13
Oderam	<i>TorptI Dat PhoebVs XenIa Iste ILLVstrIa MVsIs.</i>	1631	April.	1
	<i>Vt VenIt, en sVperat FranCforDVM* strenVVs Heros.</i>	1631	April.	3
	<i>BranDInbVrgensIs<sup>33</sup> SVEonI se MarChIa IVnXI.</i>	1631	April.	
25	<i>MagDaebVrga rVIt VI, IgnI faCIBVsqVe TyrannI;</i>	1631	Maio	10
	<i>Hos *Verbae pVnIt DeVs aC ReX Marte fVrores.</i>	1631	August.	
*Werben	<i>VaLVas GyMnasII tIbI ReX ReVaLIa panDIt.</i>	1631	Iun.	6
	<i>TILLIVs aD MIsnos It, VeXat IblIqVe penates;</i>	1631	August.	
	<i>IstI GVstaVVs SVEdIs hIC obVIat arMIs.</i>	1631	Septemb.	
30	<i>VnIt se noster presso CVM SaXone SVEdVs.</i>	1631	Septemb.	5
	<i>AVstrIa SaXonlo VIRTVs CaDIt oMnIs In agro.</i>	1631	Septemb.	7
	<i>TILLIVs aVfVgIt stratVs sVb MIsnIDos orIs:</i>	1631	Septemb.	7
	<i>GVstaVI Magnas arX et DatVr HaLa sVb aLas.</i>	1631	Septemb.	11
	<i>HaLbstaDIense soLVM faVstVs ReX pVrgat ab hoste.</i>	1631	Septemb.	
35	<i>CerbetII aC CattI VInCVntVr IaM, atqVe CherVsCI.</i>	1631	Septemb.	
	<i>ADVentante SVECo VetVs Vrbs ErphorDIA gaVDet.</i>	1631	Septemb.	18
	<i>GVstaVVs FranCo ManDat, paretqVe ThVrIngVs.</i>	1631	Octobr.	
	<i>ArCIs VVirtzbergI VIsVI seDatVr et arMIs.</i>	1631	Octobr.	8
	<i>RostoChIVM repetIt sIbI DVX Is patrIVs haeres.</i>	1631	Octobr.	15
40	<i>GVstaVo frVItVr Maeno-FranCfVrDa sVperba.</i>	1631	Nov.	
	<i>TILLIVs In VanVM NorIbergae VIsIt aD arVa.</i>	1631	Nov.	
	<i>Vrbs atqVe aLta arX GVstaVo MansfeLDIa paret.</i>	1631	Decemb.	
	<i>Vrbes VVetroVIAe CaptantVr Marte stVpenDo.</i>	1631	Decemb.	
	<i>VVorMatIae popVLos faVste sVperabat ADoLphVs.</i>	1631	Decemb.	
45	<i>VVrteMbergenses SVEdVs speCtatqVe beatqVe.</i>	1631	Decemb.	
	<i>VICVs MontanVs SVEdae tVrbae ense tenetVr.</i>	1631	Decemb.	
	<i>FaVsto GVstaVo DatVr ense MogVntIa CaVta.</i>	1631	Decemb.	
	<i>SepteMVr-SaXo IVste PragIa oppIDa VInCIt.</i>	1631	Decemb.	13
	<i>GVstaVo NeMetes, VetVs Vrbs et SpIra DICantVr.</i>	1632	Ian.	
50	<i>EX Vasta MagDaebVrga gens CaesarIs eXI.</i>	1632	Ian.	
	<i>HornIaDes IVnXI sIbI VI BaMbergICa rVra.</i>	1632	Febr.	
	<i>GosLarIVM IngreDItVr VI VInarIensIs VLYsses.</i>	1632	Febr.	4
	<i>VVIsMarIa IVssI gens proDIga CaesarIs exIt.</i>	1632	Febr.	

<sup>30</sup> *tIMpora chronostichi causa*

<sup>31</sup> *Eleonora U : ELEonora corr*

<sup>32</sup> *MILLte U : MILLte corr*

<sup>33</sup> *BranDInbVrgI chronostichi causa*

	<i>VLMa IVVans opIbVs GVstaVo faeDera pLantat.</i>	1632	<i>Febr.</i>	
55	<i>Ense PaLatInVM IVVat, en! GostaVV<sup>34</sup> ADoLphVs.</i>	1632		
*Strass-	<i>Flt ReX Argyropes* ReX, aC MeDIator herVsqVe.</i>	1632		
burg	<i>ReX faVstVs VInCIt BreMenses atqVe StaDenses.</i>	1632		
	<i>TrVX VIDet Hispanos fVgere atqVe horrere MoseLLa.</i>	1632	<i>Februar.</i>	
	<i>En CapItVr SVEda VI DonnaeVVerDa sVperba;</i>	1632	<i>Mart.</i>	25
60	<i>VI qVoqVe CaptatVr SVEda GottInga sVpreMa.</i>	1632	<i>Febr.</i>	11
*Per a-	<i>TILLIVs Vt fVgIt MIsereNDVs fIne perIVIt.</i>	1632	<i>April.</i>	
nagram-	<i>Sanat VInDeLIos<sup>35</sup> ReX VanDaLVs ense VerenDo.</i>	1632	<i>April.</i>	
ma AV-	<i>Fit *GVstaVa SVECo GVstaVo sVbDIa Magno.</i>	1632	<i>April.</i>	10
GVSTA	<i>Vrbes BaVarIae VInCVntVr Marte stVpenDo.</i>	1632	<i>Apr. et Ma.</i>	
65	<i>Vrbs MonaChI sese GVstaVo sVbDIa Vt aeqVo.</i>	1632	<i>Majo</i>	7
	<i>SVEVVs et ALsatIVs parent, tanDeMqVe SILEsVs.</i>	1632	<i>Iun.</i>	
	<i>VVestphaliAM saLVat generosVs BaVDIVs ense.</i>	1632	<i>Iun.</i>	
	<i>GnaVo SepteMVr DVX LIberat ense LVsatos.</i>	1632	<i>Iun.</i>	
	<i>ADVersVs VVaLLenstenIVM Norlberga tenetVr.</i>	1632	<i>Iun.</i>	
70	<i>HoLkIVs en DIrVs MIsIIs popVLatVr In arVIs.</i>	1632	<i>August.</i>	
	<i>GVstaVI foVet et LaVDat BresLaVIA tVrMas.</i>	1632	<i>Septemb.</i>	
	<i>SVpreMos VbIos eXterret BaVDIVs HeCtor.</i>	1632		
	<i>Per te Torptae, o ReX pVgnaX, ACaDeMIas VrgIt.</i>	1632	<i>Octob.</i>	15
	<i>Se LantzBVrga feraX qVoqVe, se BenfeLDIa DIDVnt.</i>	1632	<i>Mar et Oct.</i>	
75	<i>LVtzenaM fortIs VenIt GVstaVVs ADoLphVs.</i>	1632	<i>Novem.</i>	
	<i>LVtzenaM Lato trVX DestrVIt Igne TyrannVs.</i>	1632	<i>Novem.</i>	
	<i>VersVs FrIDLanDos ReX arDVa praeLIa serVat.</i>	1632	<i>Novemb.</i>	6
	<i>VI PappenhaeMVVs fVgIt eXternatVs aD orCos.</i>	1632	<i>Novemb.</i>	6
	<i>Heros GVstaVVVs pVgna CaDIa atqVe trIVMphat.</i>	1632	<i>Novemb.</i>	6
80	<i>Dat LaVta In poMpa SVEonI VVoLgastla fVnVs.</i>	1633	<i>Julius</i>	15
	<i>SoLeMnI fLeV In SVEdia GVstaVVVs habetVr.</i>	1633	<i>Novemb.</i>	6
	<i>IaM ChrIstIna foVet SVEdos, foVet atqVe tVetVr;</i>	1633		
	<i>HanC DeVs InnVMeros VItae ReX serVet In annos.</i>	1633		

Fecit et e Gymnasio Revaliensi humilime vobis R.S.O.M. obtulit  
TIMOTHEUS POLUS, P.L.

10. Adr: Sveno Magni Hagelstenius – Aut: Petrus Andreae (Disputatio philosophica de natura ethices et summo bono. Quam, /.../ in Regia Livonum Academia Gustaviana /.../ sub praesidio /.../ Petri Schomeri /.../ publice ventilandam proponit Sweno Magni Hagelstenius /.../ ad diem < > Decembris /.../ - Dorpati Livonorum, 1634: J.Pistorius)

LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Ornatissimo Dno. SVENONI MAGNI*

*Respondenti et harum Thesium Authori solertissimo,*

SVENO Theses de Ethices natura scribere pergis,

Materiam aggredieris solvere quippe gravem.

Aggredere ut deinceps sis *felix*, sisque *beatus*,

Sic *Summumque Bonum*, quod venit inde, feres.

Lubenti et amica man<u> posui

M. PETRUS ANDREAE Arbogia-Wesmannus.

11. Adr: Sveno Magni Hagelstenius – Aut: Gudmundus L. Theonomus (cf. 10)

LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

<sup>34</sup> *GostaVV*s chronostichi causa

<sup>35</sup> *VInDeLIos* U : *VInDeLIos* corr

<sup>36</sup> *Calamo*: Nov.

- Quod vitiorum Ethica est expultrix culta magistra  
Morum, pulchre refers Sveno, ut tua dicta fatentur.  
Condit opes amplas; Svadet prudentia mores,  
Quos nunquam vel flamma vorat<sup>37</sup> vel fur rapiatu<r>.*
- 5 *Qui velit ergo bonos mores nunc dicere ab illa,  
Excultus tandem tolletur honoribus amplis.  
Virtuti tu etiam prebes calcaria, SVENO,  
Moribus Hagelsteni te condecorate canorum est.  
Fulgeat hinc virtus tua, sicut in aethere splendor.*
- 10 *Praemia quove feras, sic teque sequentur honores.  
Gratus ego tendo et supplex ad sydera palmas,  
Vt pede Diva secundo adsit fortunaque caeptis.*

ἀυτοσχεδί<.>ς scripsit.  
GUDMUNDUS L. Theonomus

12. ADR: Sveno Magni Hagelstenius – AUT: Magnus AND. LALLAERUS (cf. 10) LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Felix qui facit, ut praescribunt, jure dicetur,  
Virtutes; Sveno pergito et hocce doce,  
Qui pietatis amans, quique est studiosus honesti,  
Laudatosque inter surget honore viros.

Non tam moris quam amoris ergo  
accinebam  
MAGNUS AND. LALLAERUS  
Smol-Svecus

13. ADR: Nicolaus Olai – AUT: Nicolaus N. NICOPENSIS (Dissertationum theologiarum secunda de Salvatore nostro Jesu Christo, exponens ὀνοματολογίαν ejusdem ex Exodo. Ad cujus theses, publicae jam velitationi subjectat, /.../ praeside Petro Goetschenio, /.../ respondebit Nicolaus Olai Calmariensis. Habetur /.../ 16. d. Maij, /.../ - Dorpati Livonorum, 1634: J.Pistorius)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ad Ornatissimum Dn. Respondentem,  
NICOLAVM OLAI Calmariensem.

- Nomine de Christi tollit sacra pagina lites,  
Causa tamen litis nonnullis dicitur esse.  
Sed pius et sapiens illud non dixerit ullus,  
Corde fidem nisi qui malesanus respuit omnem.*
- 5 *Tu vero, Niclaë, viam modo fortiter instans  
Monstratam, a corruptelis defendis iniquis  
Aeternae nomen sobolis, sacra scripta recludis.  
Spiritus aeterni foveat te numine patris,  
nisi felici propugnes nomina Christi.*
- 10 *Sic te olim nullis nomen debile seclis,  
Laudes, magnus honos, florensque corolla, manebunt.*

Moris et benevolentiae ergo deproperabat  
M. NICOLAUS L. NICOPENSIS.

14. ADR: Nicolai Olai – AUT: Johannes Raulinius (cf. 13) EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

<sup>37</sup> vorat calamo additum R

Est summi nomen nati venerabile JESU,  
 occulto genuit quem Deus ipse modo.  
 Terrificum simul est sceleratis nomen JESUS,  
 illius ad nutum tartara nigra tremunt.  
 5 Hujus circumiens radiantis machina coeli  
 sceptriferae manus subjacet, unda, solum.  
 Non fuit in vasta majus compage corusci  
 axis, nec majus nomen in orbe fuit.  
 Laudibus hoc qui tergemini vult tollere nomen,  
 10 hujus nec nomen Parca maligna rapit.  
 Tu, Niclae, tui nomen veneraris JESU,  
 Nominis haud pereat candida fama tui.

mutuae amicitiae ergo fudit  
 Johannes Raulinius.

15. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Goetschenius (Disputatio theologica de universali merito Christi. /.../ in Academia Regia Dorpatensi sub praesidio /.../ Andreae Virginii /.../ publicitus ventilata, et defensa a Nicolao Olai Calmariensi, /.../ d. < > Decembr. anni M.DC.XXXIV. – Dorpati Livonorum, <1634> J.Pistorius) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Ad lectorem benevolum et malevolum.

*Lividus haud Deus est, multorum gaudia nolens  
 caelica, sed cunctos exoptat habere salutem.  
 Omnes laetifica Christus quoque morte redemit,  
 qui reprobi, fidei qui propositique tenaces.*  
 5 *In verbo sanctus benefactum haud spiritus uni,  
 aut multis, genti sed plane annunciat omni.  
 Mente voluntatem Patris hanc agnosce benignam,  
 quisquis es, hinc aufer dubiae luctamina curae,  
 juratoque Deo modo credula pectora praesta.*  
 10 *Filius et sancto λότρῳ peccata piavit  
 sacratque Deo populi, reprobaeque cohortis.  
 Immo in morte cruor Christi est effusus abunde  
 pro pedibus vane quasi conculcantibus istum,  
 sicuti veridico testatur Apostolus ore.*  
 15 *Firmiter hoc statuas animo, nec sperne vocantem:  
 prende Redemptoris meritum, benefacta, cruenta  
 vulnera, quae tibi prensandae manus una salutis,  
 resplendente fide, cordique infige fideli,  
 nec cures unquam, quae calva caterva reponit,*  
 20 *Sic constat tua (ne dubites) electio certa:  
 sic te aeterna manent caelestis praemia vitae.*

PETRUS GOETSCHENIUS,  
 SS. Theol. Licent., ejusdemque et Graecae  
 linguae Professor.

16. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Andreae (cf. 15)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Fraus, dolus, absistant Phantasmatis *Huberiani*  
*Calvini* cedant dogmata falsa feri.

Qui dicunt, *meritum* Christi non competat omni,  
 Cumve negat nulli, regna beata, *fides*.  
 5 Nunc duce scriptura victor NICLAUS abibit,  
 Talia falsorum trudere tela valens.  
 Et Niclae velut sacro es moderamine fultus,  
 Pelle strophas, technas; et tueare theses.

Candidi honoris ergo apponebam  
 M. Petrus Andreae Arbogiensis.

17. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Christiernus Osaengius (cf. 15)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Perdidit (infandum) mortalis gaudia prisca,  
 Queis paradus eum, mira dulcedine, alebat.  
 Iratum numen consciverat et sibi labe.  
 Heu dolor immensus, quanta est mutatio facta!  
 5 Non opis humanae fuit hanc reparare salutem;  
 Exhibita est Christi generi tum gratia toti  
 Humano, membrum nec ab hac excluditur ullum.  
 Quod si spectasset Stygij male percitus vestro  
 Plutonis, meritum Christi vix extenuasset  
 10 Falso dicendo: non hoc prodesse quibusdam  
 Posse; sed Electis solis. O pectora coeca!  
 Perversum hunc populum docte NICOLAE retunde,  
 In coelis victor quo fausta sorte triumphes.

Praestantissimo D. Candidato, fratri et  
 populari suavissimo in fraternae necessi-  
 tudinis testificationem hoc ἀντὸ  
 σχεδίασμα lubens apposuit  
 M. CHRISTIERNUS OSAENGIUS  
 Annerstadia-Svec.

18. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Benedictus Brusaeus (cf. 15)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Quod Christus *meruit* precioso sanguine cunctis  
 Illud num *meritum* minuas fallacibus ausis,  
 Perfide tu Calvine? Negat scriptura sacrata.  
 Atque negat sacri NICLAUS fontis alumnus,  
 5 Cujus erit munus, propria te fallere sua,  
 Cujus (ob id) coelestia erit bona carpere dona.  
 Possideat, (teneat) servet; vigeat, valeatque,  
 Coelum, (NICLAUS) patriam; felix, validusque.

Honoris, amoris ergo et mutuae amicitiae decla-  
 randae accinebat  
 BENEDICTUS BENED. BRUSAEUS  
 Smol. Svecus.

19. Adr: Christiernus Andreae Osaengius – Aut: Johannes Raulinius (Disputatio solennis philosophica de anima vegetativa, quam /.../ in Regia Livonum Academia Gustaviana /.../ praeside, /.../ Petro Schomero /.../ pro magisterij gradu, /.../ publicae et placidae φιλοσοφούντων κρίσει credit Christiernus Andreae Osaengius /.../ ad diem <14.> Octob. /.../ - Dorpati Livonorum, 1634: J.Pistorius)

UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO



## CHRISTIERNUS ANDREAE OSAENGIUS

per anagramma

Sane oves in gradu Christi sereno.<sup>38</sup>

Ut sedes ineuntes<sup>39</sup> in Olympicas  
 ut grati superum sint quoque filij  
 Multi castra colunt, ac lituo tubae  
 permistum sonitum, bellaque matribus  
 5 detestata volunt, qui gladios vices  
 humanas trucibus promptius ulcerant.  
 Audax Icariis fluctibus sargutum<sup>40</sup>  
 Mercator mare transit trabe Cypria  
 propter divitias, aquilonibus  
 10 luctanteis gravibus, nec metuens aquas,  
 nec magnos scopulos acroceraunia,  
 nec tristes Hyadas propter opes pavet.  
 Cui familia splendescit Imaginum  
 altis Aemilianis statuis sive  
 15 arae vota litari cupit omnia.  
 Sed nec sint celebres tergemino metro  
 conatus animi semper Achillei,  
 caeci semper amantes nec opum cluent.  
 aut<sup>41</sup> semper nec Alumno Clarij gregis  
 20 major fit avito sanguine Nobilis.  
 En doctos hederæ præmia frontium  
 doctarum superis annumerant diis.  
 Docti belligerant, ut pia veritas  
 vivat, divitiis quin Lybicus bene  
 25 major, nobilior, magnificentior,  
 Doctus inter ades tu juvenum decus  
 Phoebeum, radians sidus et optima  
 pars Osaengiadum<sup>42</sup> stirpis, et aureis  
 quæ vectanda quadrigis es adoreæ  
 30 Fortis, dives et es nobilis artibus,  
 quas Pallas tibi pleno dedit ubere.  
 Ulmis Calliope quem <con>tribuat<sup>43</sup> gradum  
 ambabus cape, Sane tibi munera  
 sint post funera majora, beatior  
 35 coelestes inhabitature domos oves,  
 Christi namque sereno comis in gradu  
 ti semper facies compareat. Vale.

debiti honoris ergo ludit  
 Johannes Raulinius

<sup>38</sup> Anagramma non recte constructum

<sup>39</sup> *inexntes* edd: *ineunt* calamo correctum U

<sup>40</sup> *turgidum* edd. : *sargutum* calamo correctum U

<sup>41</sup> aut: *calamo additum* U

<sup>42</sup> *Osaegniadum* U : *Osaengiadum* corr

<sup>43</sup> <con>tribuat : *con* manu deletum U

20. Adr: Timotheus Polus – Aut: Fridericus Menius (cf. 9)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO*In Poëtam*

Ipse PoLI CeLebrIs GVstaV fIt CarMIne Geta  
 HIs, CeLebrIsqVe soLo fIt PoLVs hIsqVe poLo.<sup>44</sup>

FRID. MENIUS P.L. Hist. et Antiq.  
in Acad. Tartat. Prof.

21. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Petrus Andreae (Exercitationum uranologicarum secunda, de materia  
 coeli, quam in Acad. Regia Dorpatensi, /.../ sub /.../ praesidio /.../ Petri A. Schomeri /.../ publicae  
 disquisitioni submittit Nicolaus N. Prytz /.../ ad diem 16. Julij, /.../ - Dorpati Livonorum, 1634:  
 J.Pistorius)

LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ornatissimo Dno. Respondenti de  
 materia Coeli disserenti.

*Dvm vultum superas directum vertis ad auras,  
 Inspiciens COELI, culmina clara, sui.  
 Tum patet aethereum COELVM inter corpora mundi,  
 Subtile et simplex, perspicuumque. Domus*  
 5 *Astrorum, purum corpus, quoque mobile in orbem,  
 Sphaericum et amplum, quod cuncta Elementa capit.  
 Haec NICLAE scias discursu mota priori,  
 Qua vero scitu digna sequuntur, habes.  
 Ergo NICLAE aethereas qui invectus es arces,*  
 10 *(Quo non exiguo facta labore via est)  
 Perge et tu celsi perquirere munia COELI,  
 Quae Studiis quondam praemia digna ferent.  
 Perge tuis nitidis COELO impallescere Musis,  
 Aoniis limphis perge rigare genas.*  
 15 *Ex his, fructifero ceu campo Palladis almae,  
 Promere Thespiadum munera quaeque potes.  
 Tendito in astra poli; cognoscito munera COELI,  
 Fulgida Musa jubet; clarus Apollo jubet.  
 Sic tua vita tuis studiis dignissima floret,*  
 20 *Sic bona ti virtus concelebrando manet.  
 Et sequitur virtus, laus maxima, digna labore,  
 Quae facit Aonidum rore madere caput.  
 Et tibi sublimis via sit manifesta sereno  
 COELO, cum properet nomen, ad astra, tuum.*  
 25 *Hac mea Musa rudi cecinit tibi carmina filo,  
 Fac tua vivaci tempora laude bees.*

Amica et fraterna manu fudit  
 M. PETRUS ANDREAE  
 Arbog. Wesm.

22. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Petrus Goetschenius (Disputatio psychologica. De anima in genere  
 quam, /.../ sub praesidio /.../ Petri A. Schomeri /.../ pro obtinendo summo dignitatis in philosophia

<sup>44</sup> Distichon annum 1634 exhibens

gradu, publicae disquisitioni submittit Nicolaus Prytz /.../ ad diem < > Octob. /.../ - Dorpati Livonorum, 1634: J.Pistorius)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ad Ornatissimum*  
Dn. NICOLAUM PRYTZIUM.  
Philosophiae Candidatum.

*Alas qui Sophiae duplices, quarum altera menti  
velificat speculantis, agentis at altera mori,  
exercet, populis multam feret ille salutem  
atque Deo, lex et suprema videbitur illi,*  
5 *in commune bonum totas impendere curas,  
nec sibi, sed patriae genitum se credere terrae,  
sicuti natus Aristonis testata reliquit.*  
*Prytzius hic noster perdocta reperta sophorum  
excolit impense, Clariis luctatur in arvis.*  
10 *Ergo Deo, populis evadet et utilis urbi.*

PETRUS GOETSCHENIUS,  
SS. Theol. Licent., ejusdemque et  
Graecarum literarum Professor.

23. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Petrus Johanni Turdinus (cf. 22)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvi sacras potuit versare licentius artes  
Quem penes est virtus nobileque ingenium:  
Inveniet prorsus (nisi fallat suasio nostra)  
Quod sibi laetitiae sit bona causa novae:*  
5 *Doctorum merito sublimia pulpita scandit  
Vt carpat studii praemia magna sui:  
Sic Niclae igitur meritos tibi carpis honores  
Nobilibus dignos, nempe magisterii.*  
*Gratulor ex animo conamina docta, labores*  
10 *Prosperet omnipotens, dirigat atque juvet.*

Fraterni amoris ergo haec  
scribebat  
M. Petrus Joh. Turdinus  
Bothnia Svecus.

24. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Nicolaus Olai (cf. 22)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Laurigeras ambis, PRYTZI doctissime, Nymphas  
Et vigil illarum discupis eulogia,  
Te quoque Nympharum glomeratim turma sequuntur  
<...>inis<sup>45</sup> et sollers vult decus ipsa tui.*

Honoris et amoris ergo calamo  
properanti apponebat  
Nicolaus Olai Calmar.

25. Adr: Sveno Bernhardi – Aut: Petrus Andreae (Disputationum theologiarum prima, de Salvatore nostro Jesu Christo, complectens ὀνοματολογίαν ejus expositam ex Genesi: quam, /.../ sub praesidio

<sup>45</sup> <...> inis error typographicus H

Petri Goetschenii, /.../ publice tuebitur Sveno Bernhardi Junepolinus /.../ in /.../ Acad. Reg. Dorpat.,  
18. d. Jan. /.../ - Dorpati Livonorum, 1634: J.Pistorius) UUB, SKB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Mortales titulos poscunt, insignia Reges,  
Heroum Virtus nomina clara cupit.  
Ast haec nominibus Christi collata jacebunt,  
Cui nomen semper lausque decusque manent.*  
5 *Hic pacis Princeps, hic Consiliarius alti  
Est, velut Esaias ipse Propheta canit.  
Ergo tuis, SVENO, divinis gratulor ausis,  
Nomina quod tractas Numinis atque hominis.*  
10 *Ardua quanquam est res, quam animo non concipit omnis,  
Nec de re tanta dicere quisque potest:  
Attamen haud horres defendere nomina Christi.  
Esto animo forti, et mente potente. Vale.*

M. Petrus Andreae  
Arbogensis.

26. Adr: Sveno Bernhardi – Aut: Andreas Virginius (Disputatio physica, de anima rationali in genere, quam /.../ in Regia, quae Dorpati Livonorum est, Academia, /.../ praeside /.../ Petro A. Schomero, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo /.../ disquisitioni publice /.../ ad diem < > Octob. /.../ submittit ac proponit Sueno Bernhardi Junepolinus Suec. – Dorpati Livonorum, 1634: J.Pistorius)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

#### EPIGRAMMA

In Solennem Disputationem  
Reverendi ac Praestantissimi viri,  
Dn. SVENONIS BERNHARDI Iunepolini  
Philosophiae Candidati dignissimi,

Dvm dictis ANIMAM pingui RATIONIS in arvo  
Usque SVENO celebras, vox tua grata DEo est,  
Clarus et inde clues: pro me tua dicta loquantur:  
Voce, styloque ANIMAM qui probat, ille probat.

Honoris et favoris ergo  
scribebat  
ANDREAS VIRGINIUS SS. Theolog.  
D. et Prof. primarius

27. Adr: Sveno Bernhardi – Aut: Petrus A. Schomerus (cf. 26)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Artibus ingenium, pectus pietate coronas,  
Atque paras nomen sedulus inde tibi:  
Jova tuos auget nisus successibus amplis,  
Et sinat optatis pondus inesse tuis.

L. Mque apposuit Praeses  
M. Petrus A. Schomerus P.P.

28. Adr: Sveno Bernhardi – Aut: Petrus Turdinus (cf. 26)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Te censura gravis facit antegressa Magistrum  
 SVENO, qua Sophiae praemia honore feres.  
 Namque status inter varios elegeris unum,  
 Quippe status, decus est, grande Magisterij.  
 5 Hinc tibi confertur, quod non vendatur ob aurum,  
 Optio sit votis irrita nulla tuis  
 Discere ut utilis hinc patriae jucundus amicis  
 Fias, in multos cresce viresce Dies.

honoris et amoris ergo  
 scribebat.  
 M. PETRUS TVRDINUS  
 Both. Svecus.

29. Adr: Sveno Bernhardi – Aut: Gudmundus Krokus (cf. 26) UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Castalijs animus bene qui sudavit in arvis,  
 Duros labores, nocte dieque ferens:  
 Omni sic studio conatus flectere Musas,  
 Elogium, laudem fertque capitque suam.  
 10 Misis haec vis est: Obscuro stemmate natos  
 Nobilitant, humiles magnificentque viros.  
 Ergo decus juvenum doctissime Iunepoline,  
 Tu Sophiae referes laurea sarta sacrae.  
 Tu bene philosophi desudas pulveris aestro,  
 10 Tu quoque Thaejologa<sup>46</sup> dexteritate vales.  
 En quaesita quies studijs immista severis  
 Quaere age, sperati compos honoris eris.

Honoris et debitae observantiae ergo  
 subjungebat.  
 Gudmundus Krokus  
 Wex.

30. Adr: Sveno Bernhardi – Aut: Gudmundus L. Theonomus (cf. 26) UUB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Eidem.

En SVENO praesens Musarum est concio docta,  
 Vt videat factis praemia digna tuis.  
 Nam monstras Sophiae cultum ratione sagaci,  
 Perge illi SVENO (gratus erisque DEo)  
 5 Junepoline Theses scriptas defendito docte,  
 Quo clarum tandem Nomen ad astra feres.  
 Sicne viam rectam ad coelestia cumque beatis  
 Pergas? jmo lubens comprecor hocce melo.

Honoris et gratiae memoriae ergo raptim  
 apposuit  
 Gudmundus L. Theonomus.

31. Adr: Magnus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Petrus Schomerus (Disputatio inauguralis, de anima sensitiva in genere, et in specie de sensibus exterioribus, quam /.../ in Regia Gustaviana, quae Dorpati

<sup>46</sup> *Thaejologa* U metri causa

.../ est, Academia, .../ sub praesidio .../ Petri Schomeri .../ pro summo in philosophia gradu, .../ publicae disquisitioni submittit Magnus Paulinus Ulsbeckius .../ ad diem 15. Octob. .../ - Dorpati Livonorum, 1634: J.Pistorius) UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

## EPIGRAMMA,

Quo,

*Praestantiss. et Doctiss. Juveni Dn.*

MAGNO PAULINO ULSBECKIO S.

pro summo in Philosophia gradu disputan-  
ti congratulari voluit Praeses.

*Fit studiis vivax virtus, expersque sepulchri,  
Famaque, quam tribuit Musa, perennis erit.  
Sic, Clarias MAGNE artes sedulus excoluisti  
Hactenus: Hae nomen nunc tibi rite dabunt.  
5 Ast Deus Omnipotens adsit ti numine dextro,  
Atque det ingenio vela secunda tuo.*

M. Petrus A. Schomerus  
P.P.

32. Adr: Magnus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Johannes Raulinius (cf. 31)

UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Herculeo res pulchra venit mercata labore,  
Herculeo res pulchra suos exornat honore,  
Ergo coruscantem, fulvo quae clarior auro  
Magne tuam Musam Herculeo celebrato labore  
5 Posthac ut quondam, Herculeo te ditet honore.*

Debiti honoris ergo cecinit  
JOHANNES RAULINIUS.

## 1635

1. Adr: Petrus Svenonis Luuth – Aut: Bothvidus Claudii (Exercitationum uranologicarum tertia de forma coeli, quam in Acad. Regia Dorpatensi, sub .../ praesidio .../ Petri A. Schomeri .../ publice tueri conabitur Petrus Svenonis Luuth .../ ad diem 18. April. .../ - Dorpati Livonum, 1635: J.Pistorius) UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ornatissimo ac Doctissimo  
DN. PETRO LUUTH Thesium*

*harum Propugnatori indefesso ac sijmpatriotae dilecto,*

*Ardua molitur formam qui inquirere tentat  
Coeli, quae densa et varia caligine mista est  
Palladis in campo, ob diversa ingenia mentis.  
Is tamen ad sacram qui scandere Aonidis arcem  
5 Vult, ut cognoscat sublimia mystica svadet.  
Ast tu jam cogitas belle doctissime Petre  
Luuth ,formam coeli studio qui inquirere pergis.  
Perge placere bonis, perversos spernere perge.*

Honoris et amoris ergo apponere

lubens voluit,  
M. BOTHVIDUS CLAUDII  
Norcopia-Svecus.

2. Adr: Petrus Svenoni Luuth – Aut: Johannes Raulinius (cf. 1)

UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Pange mi Deli metra quam venusta,  
Parce nec tantum citharaede chordis,  
Pervehas PETRVM radiantis astra  
Lucida Coeli.*

5 *Ecce sublimi genio micantes  
Explicat sedes superum! Nec illas  
Expetit nunquam; Sed amans earum  
Urit et ardet.*

10 *Tu Deae quondam Paphiae Poëta,  
Tune Lusisti teneram puellam?  
Tardus haud Martis celebrator a<t>ri  
Usque fuistin?*

15 *Res simul fictas melicis Iambis  
Rite Laudasti. Merito placebit,  
Res IOVI GRATAS memorare metro,  
Ti, Pie Pythi.*

*Vnde praesentis memor adsis horae,  
Vt melos PETRO lepidum refundas,  
Voveas illi pyllos ut annos*

20 *Hauriat aevum.  
Summa spectanti Ducis astra summi.  
Semper optabis, rogo, quod per arces  
Scandat excelsas ut in axe summo.  
Cum Iove Vivat.*

Fraternae recordationis ergo fudit  
JOHANNES RAULINIUS.

3. Adr: Fridericus Menius – Aut: Georgius Mancelius (Frid. Meni P.L.F. histor. P.P. syntagma de origine Livonorum. – Dorpati, <1635>: S. n.)

LNB, RNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvod Syntagma tuum submittis, amice colende,  
praelo; qvid LIVIS gratius esse potest?  
Nil modo morosos, tumidosve morare Sophistas;  
quin pergas Spartam condecorare tuam.*

5 *Vos LIVI meritas AUCTORI solvite grates,  
et bona devotis dicite verba sonis.*

Adfini suo unice dilecto manu  
bonivola scribb.  
GEORGIUS MANCELIUS SS. Th.  
Licent. Eccles. Dorpat. Pastor, et  
Consistorii Supremi, quod in Li-  
voniam est, Adsector.

4. Adr: Fridericus Menius – Aut: Andreas Besicke (cf. 3)

LNB, RNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

FRIDERICUS MENIUS

## FER CURIS ID SENIUM

Non opus ut quaeras Delphorum oracula, MENI,  
 Ipsa docent sortem nomina versa tuam:  
 Ad *Senium* venies: at, qui FRIDERICUS haberis,  
 Crede mihi, semper non FRIDERICUS eris.  
 5 Multa ferenda tibi venient! sed plurima promo,  
 Cum dabis historicum (quisque quod optat) opus.  
*Id senium curis fer*: nam qui ferre recuses?  
 Mutari humanum cum nequit arte malum.

ANDREAS **Besicke** Pastor.

5. ADR: Fridericus Menius – AUT: Timotheus Polus (cf. 3)

LNB, RNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

FRIEDERICUS MENIUS  
*Addito H. L. id est, Histor. Livoniae.*  
 EN MERCURIUS FIDELIS.<sup>47</sup>

*Mercurius superae velox est nuncius aulae;*  
*Alatis pedibus carpit et ille viam:*  
*Dicitur ille simul cultor citharaeque lyraeque;*  
*Suadelaque pater dicitur ille simul.*  
 5 *Vitalem gracili virga revocare sub auram*  
*Defunctas animas dicitur ipse quoque.*  
*Omnia Mercurio similis Citharamque Lyramque,*  
*Et celeres alas, Eloquiique decus;*  
*Omnia Mercurio similis, clarissime Meni es,*  
 10 *Cunctaque, quae multi singula, solus habes.*  
*Sacra doces; quare? Supremae es nuncius aulae:*  
*Alis Historiae doctae per ora volas.*  
*Es cultor Citharae, cum dulcia carmina psallis;*  
*Suadela pater es, condis ut historiam,*  
 15 *Qua, ceu Mercurii virga, revocare sub auras*  
*Et defunctum hominem et facta sepulta vales.*  
*Tanta potes, tam multa potes, cultissime Meni,*  
*Quaeque potes, summa perficis illa FIDE.*  
*Quapropter (quod et affirmat Metagramma) FIDELIS*  
 20 *EN es MERCVRIVS; Tunc negare potes?*

Timotheus Polus  
P. L. P. G. R.

6. ADR: Nicolaus Olai – AUT: Georgius Mancelius (Dissertatio philosophica et solennis, de mundo in genere: quam /.../ in /.../ Academia Regia Dorpatensi, sub directione /.../ Petri Goetschenii, /.../ pro insignibus magisterii consequendis publice examinandam /.../ exponit Nicolaus Olai Calmariensis, ad diem 22. August. /.../ - Dorpati Livonorum, 1635: J.Pistorius)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ad Politissimum et Praestantissimum*  
*Virum-Juvenem*  
 Dn. Nicolaum Olaum, Calm-

<sup>47</sup> Anagramma non recte constructum



maria-Svecum, Philosophiae Candidatum,  
de MUNDO, communi diversorio,  
disserentem.

Nascimur in mundum, nec eo recte utimur, eheu!  
Vivimus in mundo: Quid sit, vix novimus ipsi.  
*Utere Tu mundo, sed munde, docte NICLAE,*  
*Dissere de mundo, sed terse ac ore diserto,*  
5 *Sic tibi victrices ambibunt tempora Laurus.*

Honoris et amoris e. exigua hacce  
adposuit fida manus  
GEORGI MANCELII SS. Th. Licent.  
Professoris, Past. et supremi Consistorii, quod in  
Livonia est, Adessoris

7. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Johannes Turdinus (cf. 6)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvod Mundi tractas naturam, (mundus at ipse*  
*In convexa volans, justas facit esse figuras*  
*Stellarum, Solisque orbem, Lunaeque rotundum)*  
*Mundanum fragilem, en temet compage soluta*  
5 *Nescis. Ti non hinc, Niclae, crepuscula noctem,*  
*Debita nec somnis fecerunt sidera somnos;*  
*Atque omni corpus dilucula prima sopore*  
*Despoliant, Sophies ut visas sedulus hortum.*  
*Ergo pro somno neglecto munera carpas,*  
10 *Munera Apollinea Lauro, condigna Magistro,*  
*Quae sat Miltiadis possint superare trophaeum,*  
*Et laudes summas, et fortia gesta Neoclis.*

M. Petrus Joh. Turdinus

8. Adr: Ambrosius e Palma – Aut: Petrus Andreae (Dissertatio ethica de virtute heroica, quam /.../ in Regia Gustaviana quae Dorpati Livonum est Academia, /.../ praeside /.../ Magno Paulino Ulsbeckio /.../ publice defendendam suscipiet Ambrosius e Palma /.../ ad diem 27. Junij /.../ - Dorpati Livonorum, 1635: J.Pistorius)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Nobilissimo et Politissimo*  
Dn. AMBROSIO e PALMA  
de Heroica Virtute disserenti, haec  
paucula ut celerrimo calamo; ita fraterna  
manu adscrib.  
M. PETRUS ANDREAE Arbogiensis

*Heroum virtus sibimet pulcherrima merces,*  
*Ipsa sibi pretium, Marte potente, petit.*  
*Hanc saltem nullus potuit convincere terror,*  
*Semper per praeceps ardua vadit iter.*  
5 *Hinc cole virtutem, PALMBAUM, nec bella pavescas,*  
*Ipsa in coelum te tollere quippe potest.*  
*Utere temporibus, quorum es nunc munere fretus,*  
*Et pateat laudis maxima fama tuae.*

10 *Esto bonus miles, tutor, bonus arbiter esto,  
 Esto bonus iudex, justitiaeque tenax.  
 Sic non lapsa ruant tua fractis tecta columnis,  
 Sed maneant stabili, limina cuncta, pede.  
 Perge, age, vive, vale tu florida PALMITIS arbor,  
 PALMIFEROS fructus floridus ipse lege.*

9. Adr: Ambrosius e Palma – Aut: Christiernus Osaengius (cf. 8)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Splendorem cupitis virtutis noscere sanctae?  
 Heros magnanimus Divus GUSTAVUS ADOLPHUS  
 Sistitur hic vobis. En! Quis superabit eundem?  
 Svecica non tellus similem produxerat unquam,  
 5 Et dubito, num post producant secula tantum.  
 Hinc qui de tanto bene disserit Hectore, laudem  
 Acquirat magnam; magnos nam magna decebunt.  
 Ast tu declaras, AMBROSI PALMA virescens,  
 Herois tanti quae sit descriptio vera:  
 10 Ergo tibi laudem tu semper habeto paratam,  
 Sic instar *Palmae* nomen quoque laude virescat.

Hoc extemporaneum ἐυφημίας χάριν συντρόφῃ  
 suo suavissimo ἄυτοσχεδιαστὶ lubens me-  
 ritoque adjecit

M. CHRISTIERNUS OSAENGIUS  
 Annerstadia-Svecus

10. Adr: Ambrosius e Palma – Aut: Johannes Raulinius (cf. 8)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Ambrosia lauro redimiri si quis adoptet,  
 Det studijs animum, moribus atque pijs.  
 Multos decepit quondam malesana voluptas,  
 En virtutis ubi frigit omnis amor!  
 5 Belle (sed raros) vis ignea mentis adegit  
 Perpetuis quosdam Pallada ferre metris:  
 Roscida virtutis nonnullis mella serena,  
 Arrisere viris, quae sine fraude valent.  
 O homo, Pimplaeae celebrans praeconia Divae,  
 10 Lucida collustrent te, precor, astra diu.  
 Sis quoque terque quaterque dies felicior omnes,  
 Magnae virtutis qui studiosus eras.  
 In multis nec ades CULTOR, mi PALMIGER, imus  
 Almae virtutis Melpomenesque sacrae.  
 15 Vitas, illectrix ne te trahat ulla voluptas.  
 Nec te perturbet splendor Acidaliae.  
 Sit caput hinc totum lauro Parnasside cinctum,  
 Sit clarum metris nomen et Aonijs.

*Aliud.*

20 *Ut laetus ad fluenta  
 Palmes satus citata,*

vites suas venustas,  
 frondes suas decoras,  
 exponit ecce cursim  
 expandit ac refertim:  
 25 Sic tu, Venuste Palmes,  
 sic tu, decore Palmes,  
 virtutis ad nitentem,  
 virtutis ad micantem  
 stratus lacum virescas  
 30 et latior vigescas.  
 Palmam viri reposcunt  
 fortes et inde discut  
 Afras necare tigres,  
 apros domare Marsos,  
 35 hostes ferire diros:  
 Sic PALMA noster, horum  
 molestias laborum.  
 cupin' pati peramplas?  
 ac vin' subire magnas?  
 40 Te palma tunc manebit,  
 <et> Palma tunc tenebit.  
 Fac Factor hoc supremi  
 fac Artifex Olympi.

Fraternalis recordationis ergo  
 fudit  
 JOHANNES RAULINIUS.

11. Adr: Gudmundus Laurentii Theonomus – Aut: Nicolaus Prytz (Disputatio ethica de virtute, ejusque  
 causis internis, /.../ in Regia Academia Dorpatensi /.../ publice proposita a /.../ Svenone Bernhadi  
 Junepolino /.../ praeside, et defensa a Gudmundo Laurentii Theonomo /.../ respondente /.../ ad diem  
 25. April. /.../ - Dorpati Livonum, 1635: J.Pistorius) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Ad praestantissimum et doctiss.  
 Dn. Respondentem amicum suum dilectum

Qvi virtutis amat celeberrima facta venustae,  
 Is virtute sua condigna brabeia capescet,  
 Ergo nihil quoniam, vita, est, quod animus, in ista,  
 Perge, age, vince omnem clara virtute laborem  
 5 Gudmunde, humani quantum se tendere passus  
 Possunt; arduus accelera virtute perenni,  
 Vilius argentum est auro: virtutibus aurum;  
 Grator et pulcro veniens in corpore virtus  
 Adjuvat, et virtutis opus laudatur et alget.  
 10 Surge in duris nunc age, nunquam defice, coelo  
 Mox Gudmunde aderis rutilo, virtute sequente,  
 Et patriam ingenij vernanti flore beabis.

Benevoli adfectus ergo deprop.  
 M. NICOLAVS PRYTZ Svecus.

12. Adr: Gudmundus Laurentii Theonomus – Aut: Christiernus Osaengius (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Magna fuit quondam *virtutis* gratia divae,  
 Quam Gentes habuere DEam, fanumque sacratum  
 Ipsi erexerunt et digna trophaea dederunt.  
 Sacra domus fuit huic, celebri, contermina, *Honori*  
 5 Structa, aditum nulli permittens tempore quoquam,  
 Per templum nisi virtutis transiverit ante.  
 Scilicet egregie digito monstrasse videntur:  
 Non dignum quenquam magnis et honoribus esse,  
 Ni prius imbutam mentem virtute dedisset.  
 10 Sed tibi qui invideat studium virtutis amanti  
 Scandere sic olim, Gudmunde, palatia honoris?  
 Praeside namque probas docte SVENONE MAGISTRO  
 Vivida quid virtus, ipsi quid deinde repugnat.  
 Hocce modo gratus vivas hominique DEOque.

Amica manu exarabat  
 M. Christiernus Osaengius  
 Australis Gothus.

13. Adr: Gudmundus Laurentii Theonomus – Aut: Laurentius B. Mellerus (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Grandia qui scandit parnassi culmina montis  
 Tendat in acre simul integritatis iter.  
 Vrbanis vitam decoratam moribus inde  
 Haurit, vita quid est moribus absque pijs?*  
 5 *Dulce quidem rerum decus est cultor Lebethridum  
 Efficit ast melius Ethica clara decus.  
 Mi Theonime tibi polijhymnia clarior omni  
 Ornatu, gemmis plus preciosa fuit.  
 Virtutis tamen ambrosios gustare liquores.  
 10 Non renuis, libans inde futura bona.  
 Nomina conveniunt rebus. Theonimeque apte  
 Optime nomen habes convenit usque tibi.  
 Divinus siquidem natura diceris; anne  
 Muneris hoc divum te velit esse virum.  
 15 Virtutem puto sectari. Quo munere majus  
 Vix aliud nobis livide mome pares.  
 Scrutator clarii tersissime flaminis, Esto  
 Siderei divus hospes in arce poli.*

Fraterni amoris ergo, apposuit  
 LAURENTIUS B. MELLERVS.

14. Adr: Gudmundus Laurentius Theonomus – Aut: Nicolaus Olai (Disputatio theologica de novem articulis fidei, quaestiones selectissimas. /.../ in Regia Academia Dorpatensi publice discutiendas exhibens quam sub praesidio Andreae Virginii /.../ tuebitur Gudmundus Laur. Theonomus /.../ d. 11 Julij anno 1635. – Dorpati Livonorum, 1635: J.Pistorius) UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Eruditione et virtute praestanti viro juveni  
 Dn. Gudmundo Laurentii Theonomo pro-  
 positarum Thesium defensori industrio, honoris*

ergo gratulatur.

*Articulum Sacrum qui tractat dogmata viva,  
Quae sunt codicibus tradita sola Sacris,  
Res summus tractat, divina negotia praestat,  
Queis nil nobilius, quicquid hic orbis habet.*  
5 *Hinc datur ast plagis animi fomenta dolentis  
Colligere, et moestae quaerere mentis opem:  
Hinc datur, et quando fallacis moenia mundi  
Vasta ruent, alti scandere tecta poli.  
Sic, THEONOME, tibi, articulos quod noscere pergis*  
10 *Sacros, ex toto pectore grator ovans.  
Pergito, te moneo, defendere dogmata sancta;  
Discere, sic quondam coelica dona feres.*

Nicolaus Olai Calmariensis

15. Adr: Magnus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Fridericus Menius (Disputatio theologica de sessione Christi ad dextram Dei, ex Psalm. 110. v. 1. et 2. /.../ in Regia Academia Dorpatensi praeside Andrea Virginio /.../ et respondente /.../ Magno Paulino /.../ publice discussa /.../ die 17. April. anno 1635. – Dorpati Livonorum <1635>: J.Pistorius)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimo ac doctissimo Dno.  
Respondenti,  
M. MAGNO PAULINO ULSBECKIO  
theses suas viriliter et egregie defendenti  
F. et A.*

In coelo Paulus fuit olim tertio, at hicce  
*Paulinus* omnes transiisse dicitur:  
Cum tractat; sedeat, quis, ubi, quo, quomodo, Christus,  
Ad dexteram Dei parentis optimi.  
5 O, quantum praestat, de nostro dicere Christo,  
Quam turgida mortalium superbia;  
Tantum praecelet reliquos Paulinius olim,  
Quando videbit ipse, quod jam dicitur.

Lubens apposuit  
F. MENIVS P. L. Hist. et Antiq. PP.

16. Adr: Magnus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Christiernus Osaengius (cf. 15) UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimo ac Doctissimo Domino  
M. MAGNO PAULINO ULSBECKIO de  
Christi ad dextram Dei sessione Majestatica docte dispu-  
tanti, fratri contubernali et populari suavissimo hoc  
ἄυτοσχεδίασμα:*

*Christus adscendit super astra vasti  
Orbis, ut cunctas regat et gubernet  
Res, quod ostendis bene fronte laeta;  
MAGNE, MAGISTER:*

5 *Sedet ad dextram Patris atque summi,  
Hinc ut aequalis valeat potenti  
Gloria, monstras modulo suavi,  
MAGNE MAGISTER.*

Fraterni amoris ergo adicere voluit  
M. Christiernus Osaengius Svecus.

17. Adr: Magnus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Bothvidus Claudii (cf. 15)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Thejologus<sup>48</sup> lustrat non terrea, neque caduca:  
Aeternae sed quae conducunt rite saluti.  
Mystica sic lustras Clarissime Magne Magister  
Dum tu pertractas, *Domini quid sessio Christi*  
5 *Ad Patris dextram, nato quam sponte paravit:  
Coeptis hisce tuis secundet Rector Olympi.*

Amicitiae, ac fraternitatis ergo, contuber-  
nali suo dilecto reliquit  
M. Bothvidus Claudij  
Norcopia-Suecus.

18. Adr: Magnus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Nicolaus Olai (cf. 15)

UUB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ad dextram Christus sedet almam Patris in astris,  
Obtinet et regimen rerum virtute potente.  
Dextra Dei aeterna est sua non finita potestas,  
Fulgida majestas, per quam regit omne creatum,  
5 *Hinc Pauline theses queis sessio dextra notatur,  
Propugnans defende sacri certamine fontis,  
Sic te dextra Dei servet per cuncta pericla,  
Et tandem ducat te ad coelica regna beatum.**

Gratulationis ergo Imque faciebat  
NICOLAVS OLAI CALM.

19. Adr: Andreas Virginius – Aut: Georgius Mancelius (Manipulus disputationum theologicarum in Regia Academia Dorpatensi, quae est in Livonia, congestus et publice discussus ab Andrea Virginio /.../ - Dorpati Livonorum, 1635: J.Pistorius)

H, Tartu UB  
GRATULATIO

IN

*Reverendi admodum, Nobilis, atque Excellentissi-  
mi Theologi*

Dn.

ANDREAE VIRGINII

haereditarij in **Schwessien** / SS.

Theol. D. et Profess. primarij, nec  
non Proto-synedrij Adessoris, etc. Amici,  
Collegae et fratris sui in Christo medul-  
litus amandi,

THEOLOGICAS DISPUTATIONES.

<sup>48</sup> *Thejologus* edd metri causa

## EPIGRAMMA.

- Non temere, ANDREA, impositum tibi nomen ab ipso.  
 fortius a forti (crede) fuisse, VIRO.  
 Scilicet ut gladius tibi sint sacra dogmata Verbi,  
 atque vibres labijs tela sacrata tuis.  
 5 Nec temere impositum pura cognomen ab ipsa  
 VIRGINE, quae nullum corpore tacta virum.  
 Scilicet ut jactes munus nomenque JEHOVAE,  
 et solum CHRISTUM non simulanter ames.  
 Hoc facis: hoc doctae testantur, amice, palaestrae,  
 10 quas scio TE nostris suppeditasse LIVIS.  
 Non itaque ANDREAE forti caret omine nomen:  
 mascula nam virtus TE decet esse VIRUM.  
 Nec quoque VIRGINII puro caret omine nomen:  
 illustras etenim dogmata pura DEI.  
 15 Perge aperire dolos, queis tetrae filia noctis,  
 HAERESIS; incautos in Phlegetonta trahit.  
 Perge pie et docte a falso discernere verum,  
 vera DEI ut laus hinc, vestraque fama siet.  
 Perge, inquam, a tenebris claram discernere lucem,  
 20 Luceat et clarum nomen ut usque tuum.

*Aliud ejusdem autoris.*

- Tune VIRUM praestas te, Excellentissime Doctor?  
 ImmoVIRUM: loquitur publica fama DEI.  
 Macte VIR ingenio et studio solerte, fidelis  
 in DOMINI praestans, serve reperte, domo.  
 25 Inter ut insultus varios pugnasque frequentes,  
 devicto, palmam victor, ab Hoste feras.  
 O tam si faveat Numen coeleste precanti,  
 VIRGINIUM ut maneant Sethia secla<sup>49</sup> meum!

ěv. ěv. scripsit  
 GEORGIUS MANCELIUS SS. Theol.  
 Licent. et Professor. Ordin. Supremi Con-  
 sistorij Adessor, et ad D. Johan. Pastor pri-  
 marius, districtusque Dorpat. Praepositus,  
 p. t. Academiae Pro-Rector.

20. Adr: Andreas Virginius – Aut: Joachimus Burchardt (cf. 19)

H, Tartu UB  
GRATULATIO

- En! novus Arctois oritur nunc Phosphorus oris,  
 Et nova diffundunt sydera ab axe iubar.  
 Cedite vos tenebrae; lux orta est: cedite agrestes  
 Divae; Livoni dant Heliconam novum.  
 5 Eusebies, Themidos, Sophiaeque sacraria pandunt  
 Ingeniis prompti consiliisque Viri.

<sup>49</sup> secla pro saecula edd metri causa

Inter quos primum nomenque decusque meretur  
 VIRGINIUS, nova quem structa Lycea stupent.  
 Disputat, a vero falsum secernit, acute  
 10       Explicat, Haeretico quae implicuisse placet.  
 Haec sat id ostendunt, quae publicus excipit usus,  
       Dogmata perdocta nempe polita manu.  
 Sit felix, valeat, surgenti magna Lyceo  
       Incrementa suis nisibus hisce paret.  
 15       Vos hinc, Peibaeae Nymphae, ac Embecciaesque,  
       Najades egregium suspicitote Virum.  
 Vos quoque, quae DERPTAE miratur, Lumina, Pubes,  
       Fido collegae, quaeso, favete diu.

JOACHIMUS BURCHARDT  
 Dicasterij Wolgastani Consil.

### 1636

1. Adr: Nicolaus Laurentii Aritander – Aut: Petrus Andreae (Oratio funebris in obitum /.../ Johannis Jonae Uplandia Sveci, pastoris quondam ecclesiae Svecanae, quae Dorpati colligitur, /.../ qui /.../ anno /.../ 1636 die 19. Februarij obdormivit; cujus quoque corpus eodem anno die 25. ejusdem mensis terrae demandatum fuit: /.../ in Academia Dorpatensi /.../ declamata a /.../ Nicolao Laurentii Nicopensi. – Dorpati Livonorum, 1636: Lit. acad) (cf. 25)       UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Dorptenses<sup>50</sup> *spectant ubi prata virentia muros,*  
       *Ambit et Embeccam campus amoenus agri;*  
*Imperij soevas ibi nunc moderatur habenas*  
       *Mors, in quosvis quae dira venena vomit.*  
 5       *Hujus dente venenato est (heu) Janus ademptus,*  
       *Qui sparsit fidus dogmata sacra Dei.*  
*Is fuerat pietatis amans, virtutis alumnus,*  
       *In quo summa fuit noscere cura Deum.*  
*Ipse prius Dorptae casta cum conjuge vixit,*  
 10       *Nunc viget in coelis; quosque lucratus, habet.*  
*Hoc illi. Nobis quid prodest flere? Nihil. Nam*  
       *Sydereae ducit gaudia laeta domus.*  
*Hactenus haec: hinc te laudo Niclae Magister,*  
       *Manibus hic Jani congrua facta refers.*

Non sine moesti animi affecti, celer-  
 rimo calamo apposuit  
 M. PETRUS ANDREAE  
 Arbogensis.

2. Adr: Carolus Valeriani – Aut: Jonas Nicolai Nycopensis (Oratio de castitate, quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae est Dorpati /.../ 18. Maji, anno 1636. /.../ publice ac memoriter habebat Carolus Valeriani Nycopensis. – Dorpati, 1636: Typ. acad.)       UUB, SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Casta placent Superis! non res praestantior ulla,  
       Quam caste studijs invigilare suis.  
 CAROLE, tu castis bene pectora casta loquelis  
       Describis; praesens ut labor ipse docet.

<sup>50</sup> *Dorptenses* pro *Dorpatenses* U metri causa



- 5 Gratulor inde tibi, gratorque Parentibus una;  
 In casto felix vive labore diu.  
 Jova tuis coeptis faveat; rata tempora laudent;  
 Ardua res castis invigilare bonis!

Ita gratulabatur animitus  
 JONAS NICOLAI,  
 Nicopensis.

3. Adr: Andreas Th. Caustadius – Aut: Georgius Mancelius (Disputatio philosophica de fine: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Laurentii Ludenii /.../ pro magisterij philosophici privilegis obtinendis, publico examini ad diem 15. Octobris, anno 1636. /.../ submittit, Andreas Th. Caustadius /.../ - Dorpati Livonorum, 1636: Lit. acad.)

SKB, H, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*In honorem Praestantissimi et Doctissimi*  
 Dn. ANDREAE CAUSTADII, Philosophiae  
 Candidati.

*Inter pacatae tu nomina militiäi,  
 Hactenus ANDREIa o, ceu fortis, signa tulisti, et  
 Excoluisti animum studiis solerter honestis.  
 Nunc das quod specimen vincat. Sed Pallas honorem  
 5 Offert, Tergeminae ascendas ut ad alta Sophiae.  
 Qvos animi dotes meruerunt, grator honores.*

GEORGIUS MANCELIUS SS. Th. Lic.  
 Professor, Pastor, Praepositus, Acad. p. t.  
 Rector

4. Adr: Andreas Th. Caustadius – Aut: Nicolaus Nycopensis (cf. 3)

SKB, H, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Rem praestas fateor, magnam, Doctissime Amice,  
 Dum colis ingenium praeclsa Palladis arte:  
 Sicque ad Parnassum virtute ascendis, ut inde  
 Castalii usque chori possis tibi ferre brabea.  
 5 Andrea, gravium cernes pro mole laborum,  
 Quae tribuat, paulo post, praemia cultus Apollo.  
 Inclyta, ob id, Clio Derptae e Parnasside Lauru,  
 Imponet docto capiti dein sarta decora.  
 Queis signis claris, dignis et honoribus auctus,  
 10 Ceu par est, foveas virtutis nobile nomen.  
 Hos igitur toto de pectore grator honores  
 Queis te percipio fruier cum dote Magistri.  
 Sis Laudi hinc Domino, decori Patriaeque tistique.  
 Hoc precor ex animis: salve, bone amice Valeque.

M. NICOL. NYCOP.

5. Adr: Andreas Thomae Caustadius – Aut: Andreas Virginius (Sacris magisterii honoribus, quos, /.../ decanus /.../ Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D. juris, oratoriae et poëseos professor, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 28. die Octobris anno 1636. publice et solenniter conferebat /.../ Andreae Thomae Caustadio, Sudermanno. – Dorpati Livonorum, 1636: Lit. acad.)

BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Umbra velut sequitur viventis corporis artus,  
Sic quoque doctrinae est gloria magna comes.  
Ast ea pervigili magnoque labore paratur,  
Quod probat exemplum, vir Reverende, tuum.*

5 *Hinc tibi jam merito summi tribuuntur honores,  
Quos meruit virtus ingeniumque tuum:  
Hinc tibi, quae grator, longe charissime amice,  
Nunc veniunt capiti laurea serta tuo.*

Ita Viri Magnifici , Admodum Reverendi, atque  
Excellentiss. Dn. LAVRENTII WALLII  
SS. Theol. D. et Professoris in Vniversitate Re-  
gia Vpsaliensi celeberrimi et primarii, fratris in  
Christo, Fautoris et amici mei aetatem suspiciendi  
olim Domestico, nunc mihi commendatissimo, viro  
juveni Reverendo et Praestantiss. Dn. AN-  
DREAE THOMAE Philosophiae Candi-  
dato longe meritissimo de Magisterio in Regia A-  
cad. Dorpat. solenniter collato, inter occupationes  
alias ex animi sententia gratulari volui

ANDREAS VIRGINIUS  
SS. Theol. D. et Profess. Prim.  
nec non Proto-Synedrij  
Adessor.

6. Adr: Andreas Thomae Caustadius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 5)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*ANDREA, aeternum Sophiae decus, Eusebiaeque  
Delicium, Patrii flos speciose soli.  
Sic placeat studijs animum emendasse verendis!  
Sic placeat lingvas edidicisse graves!*

5 *Coelica sancta tuas armat Sapia mentes  
Inque domos Divum scandere cura fuit.  
Coelica cognosti quo vivat machina motu,  
Qua retro septem sidera lege fluant.*

10 *Scis causas rerum, unde nives, quis fulminis author,  
Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas,  
Divini solers adstas numerator Arithmi,  
Et radio signas dinumerante polos.*

15 *Scis, quae norma boni, quis sancti limes honesti:  
Quae dicenda tenes, quaeque tacenda tenes.*

20 *Ti coelum terraeque patent: vis ignea mentis,  
Ignea vis genij est, ignea et ingenij est.  
Immarcessibilis tua cingit tempora Laurus,  
Et meritas ornat fronde virente comas.  
Sit faustum et felix: Dici consvesce MAGISTER:  
Et clara insignis laude, MAGISTER, AVE.*

Quod animitus pr.  
Laurentius Ludenius, J. V. D.  
Prof. et pro t. DECANVS.

7. Adr: Andreas Thomae Caustadius – Aut: Nicolaus Nycopensis (cf. 5)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Armiger incerto Mars praelia turbine versat,  
 Casus et instabiles miscet utrinque vices.  
 At decus ingenij durat, vatumque Labores  
 Quos posuit summo, Phoebus Apollo, gradu.*  
 5 *Andrea, Hincce tibi datur haec cum germine laurus  
 Atque Magisterij cinctus honore venis.  
 Perge caput nitidum nitida vestire Tiara  
 Ad Patrios redeas clarus honore Lares.*

M. Nicol. Nycop.

8. Adr: Andreas Thomae Caustadius – Aut: Petrus Andreae (cf. 5)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Pierides Musae nemora inter frondea Pindi  
 Quae bibitis liquidi ad littora fontis aquas.  
 Ponite nunc lolia; et comprehendite lilia grata,  
 A quibus ANDREAE nectite sertam manu.*  
 5 *Sertam Magisteriis merito conferte labori,  
 Quae sunt doctisonis mille referta bonis.  
 CAUSTADI hinc, nec tu Musarum munera sperne  
 Quae tibi Parnasso turba Novena dedit.  
 Utere quin donis; et clara dote Magistri*  
 10 *Utere; quae Aonidum culmine sola venit.  
 Sic Domino, Patriae, simul his, (quos sorte parentum  
 Percolis) exhibeas commoda magna; Vale.*

Amoris ergo scrib.  
M. Petrus Andreae,  
Arbogia-Wesmannus

9. Adr: Andreas Thomae Caustadius – Aut: Martinus Gelaeus (cf. 5)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Quod dederas cultis juvenilia tempora Musis  
 CAUSTADI auspiciis gaudeo, Amice, tuis.  
 Suavibus illae etenim demulcent pectora verbis,  
 Et spirant variis ingeniosa modis.*  
 5 *Hinc inter vates tu nunc numerabere doctos,  
 Nobile iudicium posteritatis erit.  
 Ergo tu dono tanto utere, docte Magister,  
 Hinc patriae, atque tuis gratus erisque Deo.*

Martinus Gelaeus Pastor  
in Rappyn.

10. Adr: Andreas Thomae Caustadius – Aut: Ambrosius e Palma (cf. 5)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*ANDREA, heus, tu delictum, tu gloria Musis;  
 Perge modo, incoeptis insta, perferque labores.  
 Perge gradu coepto; Jam jam augebuntur honores,  
 Digna dabunt homines, Dominus quoque praemia digna.*  
 5 *Auspicium factum est ingens; gratamur amici,  
 Quo tandem natale solum, genus atque parentum  
 Sentiet et referet tibi digno munera mille;  
 Hoc, precor, ut celsi concedat Rector Olympi.*

Gratulabundus cecinit

Ambrosius e Palma  
LL. studiosus.

11. Adr: Andreas Thomae Caustadius – Aut: Jonas Nicolai Nycopensis (cf. 5)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvid vult concursus tantus juvenumque senumque  
Fulgens ornatus splendidus atque chorus.  
Cur pariter cantant cuncti nunc voce sonora  
Ritus quid tantus? quis memorare potest?*  
5 *Exoritur tandem rutilans aurora diei  
Cujus gaudemus lumine posse frui.  
Est ea laeta dies, quae concelebranda Camoenis;  
ANDREAE atque refert munera magna Viro.  
Hoc agite, ut loetum celebremus tempore festum*  
10 *Quando coronatur fronde Magisterij.  
Tu Deus, aeterno nutu qui cuncta gubernas  
Annuito coeptis: Da rata vota, precor.*

Accantat. a  
JONA NICOL. Nycopens.

12. Adr. Andreas Thomae Caustadius – Aut: Andreas (Laurentii) Aritander (cf. 5) BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Sicut in armorum strepitu, qui fortius atra  
Praelia sustinuerunt Duces, patria arva tuendo,  
Pocula mordacis deplere adiguntur aceti;  
Vtpote quassantur vesani turbinis ictu:*  
5 *Immensum pluviae fundit quoque nubila aquosa  
Agmen. Fortunae licet omni e parte petantur.  
Nec tamen evitant Marti subducere colla,  
Metam quin prius accipiant attingere rectam:  
ANDREA, euge, viros inter reverenter amandos,*  
10 *Sic quoque tu varios tolerasti mente labores,  
Scilicet a puero riguas quando imbibis undas  
Pieridum: piguit te haud sacris pergere coeptis.  
Grator ovans animo quoque toto pectore grator;  
Quod Sophiaeque viam dextre hinc absolveris amplam,*  
15 *Obsequij nunc grata novi tibi semina surgunt,  
Proposito favet et Dominus per vela secunda.  
Accipe jura Magisterij te praemia digna  
Nominis et longae cedant in commoda famae:  
Mitra datur veluti, dabitur sacra mitra laboris.*  
20 *Adsis qui solus moderaris sidera nutu.*

Non ita moris obsequendi, quam honoris  
contestandi ergo modulabatur  
Andreas Laurentii  
Nycopensis.

13. Adr. Andreas Thomae Caustadius – Aut: Johannes Eriici (cf. 5)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ecce quid sanctam video Catervam?  
Anne visurus gradiar repente?  
Quando mox calcant animo quieto*



CHRISTINA,  
REGINA SVECIAE:  
*Per Anagram.*  
CHARIS  
IN REGNA IT SVECIAE.

- 5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena  
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.  
Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:  
AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:  
CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

- 10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS; ab alto  
Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.  
CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:  
Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!  
Salve, Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA  
Auspice, sis Regni deliciosa CHARIS.*

Dominæ et Reginae suae Clementissimæ  
Humilime:

15. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Georgius Mancelius (Sacris nuptiarum solennitatibus, quas /.../ Iohannes Flügelius, Supremi Judicij Regij, quod Dorpati Livonorum est, designatus adessor, sponsus, cum Anna /.../ Joachimi Wellingii, relicta filia, sponsa; ad 31. diem Octob. anno 1636. Rigae Livonorum solenniter celebrabat, quaevis fausta et felicia /.../ precantur amici. – Dorpati Livonorum, <1636>: Typ. acad.)

EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Consultiss. Dn.*  
JOHANNI FLÜGELIO  
SPONSO,  
<...> in matrimonium ducenti  
Virginem lectissimam  
A<NNA>M WELLINGIANAM etc.

- Te voco felicem, te sanum dictito SPONSE,  
<d>um ducis Nympham ad mutua pacta tori.  
Con<ce>dat me<ntem> vegeto cum corpore sanam  
vobis, qvi servat cuncta creata, DEUS.*
- 5 *Ex alto vobis Gnatos donet DEUS ipse,  
in qvibus amborum spiret imago patrum.  
Vos faciat DEVS annosam qvoque claudere vitam,  
et tandem sitis turba probata polo.*

Ita vovebat animitus Dorpati  
GEORGIVS MANCELIVS SS. Th. Licent.  
ejusdemque Professor ordin. Pastor, et Consistorii  
Regii supremi, quod in Livonia est, Adessor,  
Academiae Gustavianaë p. t. Rector.

16. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Andreas Virginius (cf. 15)

EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Sic tibi purpureo lux aurea splendet Eoo,  
Qua venit in thalamos ANNULA Sponsa tuos.  
Cedunt Senenses pulcrae, Venetaeque superbae;  
Unica, casta, tibi basiola ANNA dabit.  
5 Coelitus ANNA venit, coelo tibi jungitur ANNA,  
Quae fore se dixit tempus in omne tuam.  
CHRISTUS det placidos annos, laetamque senectam.  
Sit Soboles, sit Amor connubialis Honor.

Quod app.  
ANDREAS VIRG<INIVS>  
Nobilis Pomeranus, Haereditariu<s in Schwessien>  
SS. Th. D. in Regia Aca<demia Dorpaten>si  
Prof. Th. Prima<rius et Prot>o-  
S<yndrij Adse>ssor.<sup>52</sup>

17. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 15) EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

IOANNES FLUGELIUS  
*Per Anag.*  
I FULGENS, I o VALENS

ANNA <WELL>INGS:  
<*Per Anag.*>  
NI<L VNA LANG>VES<sup>53</sup>

JANE, Novenarum decu<s Immortale Sororum><sup>54</sup>  
Eu<no>miae et Veneri deliciosa venus:  
*Reddidit insignem studiis Tritonia Pallas,*  
*Pectora Nestoreo tincta lepore dedit.*  
5 *Alma Themis Juvenem Justi perfecit et Aequi*  
*Notitia, instruxit dexteritate Virum.*  
*Casta Venus dotes alto cum pectore junxit,*  
*Et nova tincta novo corda tepore creat.*  
*Candida purpureum super ora refusa ruborem*  
10 *ANNVLA, tincta novo corda calore creat.*  
*I FULGENS! O Ique VALENS! Nitor altus, amoenus:*  
*Deliciosa Themis! Deliciosa Venus!*  
*Cum Venere O VNA NIL tu, Themis inclyta, LANGVES.*  
*NIL VNA LANGVES cum Themide alma Venus!*  
15 *I FVLGENS, O Ique VALENS, Par nobile: LANGVet*  
*Nullus erit sancte FVLGidus urit Amor.*

Quod animitus p.  
LAURENTIUS LUDENIUS J.V.D.  
et Professor in Regia Academia  
Dorpatensi.

18. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Jacobus Balccius (cf. 15) EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Allusio ad Nomina.*

<sup>52</sup> Textus corruptus T

<sup>53</sup> vide v 14: *NIL UNA LANGVES /.../*

<sup>54</sup> cf. 1638.140.9 *Perge Novenarum Decus Immortale Sororum*, 1639.28.1 *Heini, cor Themidos, decus immortale sororum.*

Pennae *Alis* crescunt; datur inde *potentia* pulcre  
 Alto volandi termino.  
 <AN>NULA WELLINGES, Virgo pulcerrima, Virgo  
 Castis venusta moribus,  
 5 *Alis* il<...>enit<sup>55</sup> sperata *potentia*, datque  
 Petitam abhinc *potentiam*.  
 Altum *alis* <vola>! Tutis sit tecta sub *alis*  
 <...>cte<sup>56</sup> potens *potentia*.

Honoris ergo f.  
 Jacobus Balccius  
 Gryphswald. Pom.

19. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Matthias Vermerus (cf. 15) EAB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Ad Consultissimum Clarissimumque Sponsum.*

*Dominum*

JOHANNEM FLUGELIUM,

*jura Matrimonij cum Delicio Gratiarum et Veneris*

ANNA WELLINGIA optato subeuntem.

Anno qvo

*VInDICIs AonIas fVror ater VeXat habenas*

*IMproba sors fatI TeVtona regna terens,*

Mense dieque

*Cum Sol auricomus Scorpii fera signa pererrans*

*Octobrem radiis priscos transmittit ad imbres.*

5 Sic te, *Macte* animis, gelidae constrinxit imago  
*Vrsae*, Parrhasia claro fulgore coruscans  
 Axe? tuum grato nae strinxit vimine pectus  
*Vrsa*. Sed abstrusas quid prodest quaerere causas?  
 Quid juvat argentis *Boreae* novisse latentes  
 10 Vires? sunt fortes, quos antiperistasis ignes  
 Excitat: ille tamen (Latia vulgatur in aula)  
 Fortior, a causa veniens propiore fluensque.  
 Quae petis illa fiet, patrio quo nomine no<...><sup>57</sup>  
 Cui vis illa gravis tacitos lustrare recessu<s>  
 15 Indequo palentes cordis protrudere si<...>  
 Nescis? quin nosti; flos illibatus amo<ris>  
 ANNULA WELLINGUM prisc<orum ste>mmate gnata,  
 ECCIADUMque domus clarae genus, ANNULA *Sponsa* est.  
 Pectoris illa valet iuvenilis stringere flatus,  
 20 Solaque distractos animi compingere motus,  
 Concipiat tenues hinc mens generosa favillas,  
 Emicet atque levis sacrati flammula amoris.

<sup>55</sup> fortasse *illa venit*

<sup>56</sup> fortasse *sancte* seu *macte*

<sup>57</sup> fortasse *notas* seu *novis*



Dum favor immensos dilectae crescat in ignes.  
 Hem micat! aura sonat, rutilus strepit orbis, et Artes  
 25 Aonidum promptae taedis sua vota resolvunt.  
 Felix hic *Neo-Nymphus*, felix *Nympha* venusta:  
 Qvos *thalami Rector* tali dignatur amore.  
 Claudite concordēs *Sponsi* Mathusala secla.  
 Vos fugiant *Parcae*, vos improba linquat *Erynnis*.  
 30 Dum patrias sedes hinc *Sponsus* uterque revisat.

*ALIVD.*

Joannes Flügellius, Anna Wellingis, Rigenses.  
*per Anagramma.*  
*An sine felle laus? nil livor igneus: signa, genus.*

Inspice sis tenuem a<lig>eras volitare per auram:  
 Nec eadem semper flumina piscis amat.  
 Nunc hos campus alit cervos, mox accipit alter.  
 Ingentesque ferae, quo meliore luto  
 35 Crescunt, per loca vasta ruunt, spatiosaque regna.  
 Praedam quaeque suo gestit habere modo.  
 Sic <est> *Musarum soboles*, non una beavit  
 <tell>us, *Riga* dedit (gloria prima rei),  
 Esse h<omi>nem, dedit et sacrae pia semina vitae.  
 40 Mox patria missum, *Prussia* culta videt.  
 Avocat hinc *Regina Virum Germania Clarum*,  
 Artibu<s....d>uctum<sup>58</sup>, *Musa Salana* fovet.  
 Post cele<bres visitas<sup>59</sup>> *Batavos*, et *Gallica regna*  
 Lustras (*Europei* portio amica soli).  
 45 Nec tamen haec animi possunt satiare volantes  
 Flammas, quin fuscus ausus ad<ir>e viros  
 Hispalis elatae? vitam concredere cymbae,  
 Mens avet infirmae, tecta *Latina* petis.  
 Prisca tenet te *Roma*, tenet mox pulchra *Neapolis*,  
 50 *Itala* rura favent, arva vovent *Itala*.  
*Germanos* repetis, repetis quoque limina *Rigae*.  
 Quae dedit esse tibi, nunc det ut esse bene.  
 Clarus eras, grata cuncti te voce beabant,  
 Ac celebrem fama pulpita quaeque dabant.  
 55 Votaque libabat vitae tibi plebs studiosa: at  
*An sine felle* putas *laus* sacra pignus habet?  
 Vix habet, invidiosa furit virtutis *Erinnys*,  
 Ac celeri sequitur livida, *Jane*, pede:  
 Sed *livor nil igneus* arsit, *nil labor* edax  
 60 Ingenij culti fulgida *signa, genus*.  
 Claraque fautorum generosior aula virorum,  
 Conscia mens factis, altera forma, bonis.  
 His tua sors recti superat, tua sorsque triumphat

<sup>58</sup> fortasse *seductum* seu *deductum* seu *eductum*

<sup>59</sup> fortasse *celeris salutas*

- Pignora transacti grata laboris habes.  
 65 *Hanc*, qvam blanda dedit summi clementia *Regis*  
*Annam*, complexu *Sponse* foveto tuo.  
 Pectoris illa qvies, vitae spes optima castae,  
 Non est turpis ἔπις, sed tibi dulcis ἔρως.  
 Crescite florentes, vos coelica castra secudent,  
 70 Ut vigeant taedae, post vireatque thorus.  
 Sic *sine felle* manet tua *laus*, *Flugellia* proles.  
*Nil livor* coecus, nil tibi, JANE, metus  
*Annula Wellingis* pulchra te dote coronet:  
 Sit Venusina tibi, sitque levamen. A<men>.  
 75 **Nicht Deutschlandt groß/ mit seinr Kunst/ Weißheit Verstandt**  
**vnd Witz**  
**Nicht SchwedenReich/ nächst Gothia in jhrm alten Sitz:**  
*Gallia* schön mit jhrer Zier vnd edlen Tracht:  
**Spanien stolz/ Castilien mit jhrem Pracht.**  
**Nicht Portugal vnd Lisabon; auch nicht das Wälschlandt/**  
 80 **Herr Bräutigam/ euch binden möchtn mit solchem festem Bandt**  
*Jhena* der Lustgartn Gottes/ *Pariß* vnd *Madrid*,  
*Roma*, *Venedig*, *Florentz*, *Padva*, vnd *Basil*;  
*Argentina* das werthe Hauß/ *Franckfurt* vnd *Leiden*/  
*Neapolis*, vnd *Ambsterdam*/ mit jhren Freuden:  
 85 **Ewr starckes Hertz erweichen kuntn auß aller amcht.**  
**All Lust; all Frewd/ all Freundlichkeit/ war vngeacht:**  
 ANNA das Edle Bild/ durch jhr Huld vnd gunst/ mit fug  
**Bald** *Victoriam* vnd *TriumphsKrantz* davonne trug:  
**So gar das jhr mit Liebesflam/ in schneller eil/**  
 90 **An Hertz vnd Muth verwundet ward/ als mit einm Pfeil:**  
**Doch solcher Schmertz nicht gefährlich ist/ wenn nur mit trewen**  
**Der fromme Gott/ aus Gnad/ zur Cur gibt sein gedeyen/**  
**Welchs ich euch wünsch/ nicht zweiffel dran/ es wird**  
**geschehen**  
**Vnd jhr hernach in eurem Hauß/ groß Lust werd sehen.**  
 95 **Drumb williglich ein solchen Streit**  
**Verlohren habt/ weil darauß Freud**  
**Erwachsen kan. Ach alle beid/**  
**Erhalten wolst/ O GOTT/ ohn Leid/**  
**I hr Jahr/ Ehstand/ vnd Wolfahrt mehrn/**  
 100 <...> groß machn zu deinen Ehrn.

Sic honoris, amoris ac favoris ergo  
 s<...> vovebat  
 MATTHIAS VERMERVS  
 Musna-Tr<an>sylvanus.

20. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Johannes Alesius (cf. 15) EAB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Vitae largita est Genitrix tibi lumina Riga,*  
*Semina virtutum magno molimine jecit;*  
*Addidit augmentum Misis Germanicus orbis,*

5 *Ingenium instruxit, mores formavit, et Artes*  
*Multijugas tribuit tibi Gallia et Itala tellus,*  
*Sublimique vovent Phoebi ditare corona*  
*Nunc reducem fausto superi Moderator Olympi*  
*Te patriae fulcrum faciens et munere grato*  
*Donat, ut exacti tibi sit medicina laboris.*  
 10 *Additur ecce tuis votis WELLINGIA proles,*  
*Virgo virtutum vario splendore refulgens.*  
*Ex animo vestris faveo conatibus, aevum*  
*Vester amor vigeat, mutatio mutet amorem*  
*Nulla loci; fixus maneat sub pectore Sponsum.*

Congratulabundus l. mque f.  
 JOHANNES ALESIVS Transylv.  
 S. S. Th. Stud.

21. Adr. Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: David Ertman (cf. 15)

EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Candide FLÜGELI quaeris velocibus alis  
 Virginis hospitium? Hocce placet? Nec displicet om<en>  
 Felix, qui gaudet simili, proverbialia dicunt.  
 Ne tamen ignores, qui scire id forte requiris?  
 5 Nam lege Scripturae libros; quod sit Deus author  
 Conjugij: legis et non credis credere ne<quis>  
 Jungitur haec illi laudatis moribus uxor.  
 Ambo pares, ambo magna virtute decentes.  
 Sponse, facis recte pia nunc conamina laudo,  
 10 Dum (claro genere ambo estis,) similem tibi quaeris,  
 Accipiasque tuam Sponsam, Doctissime Sponse,  
 Praedita quae cunctis est moribus, atque pudica est.  
 Accipiasque tuum Sponsum, dignissima Sponsa,  
 Praeditus ingenio ac multis virtutibus ille est:  
 15 Amboque felicem per secula ducite vitam.  
 His finem faciam, vocesque rogabo Jehovam  
 Natorum laetos faciat vos cernere natos.  
 Sit fortuna comes constanter tempore longo  
 Omnibus in factis vestris semper Deus adsit  
 20 Servet in aeternum salvos tegat incolumesque  
 Atque opibus vestras et honoribus impleat aedes.

DAVID ERTMAN  
 Gryphenw. Pom.

22. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Johannes Bruggemannus (cf. 15)

EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Cvm modo FLIGELIVM relinquit GALLICA terra  
 Pergere ad antiquos patre juben<te La>res;  
 Huic velut arridens tenerorum Mater amorem,  
 Nate, mihi fer in haec pectora, dixit, <ope>m.  
 5 Adfuit, et celeres depromens ille sagittas.  
 Natus, et haec postquam pectora fixit, ait;  
 Vana ruinosi juvat ecquid gloria mundi



23. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Martinus Masius (cf. 15) EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Triplex Sponsorum species reperitur in orbe:  
Multi soepe solent uxores ducere dextra  
Vt sunt, qui cupiunt agros et virginis aurum,  
Ast ipsam prorsus fugiunt temnuntque puellam.*  
5 *Sic oculis etiam multi connubia poscunt.  
Vt sunt, qui tantum spectant formamque manusque  
Lacteolas, mollesque genas, et rubra labella,  
Et decus externum quodque est mutabile semper.*  
10 *Auribus ast etiam multi uxores sibi ducu<nt>  
Vt sunt, qui prius agnoscunt, anne illa modesta  
Sit satis, atque pia et casta, et virtutis amatrix.  
Hanc speciem internam es jam tu, mi Sponse, secutus.  
Ergo maritus eris felix semperque beatus.*

Apposuit gratulabundus  
Martinus Masius  
Razeb. Saxo.

24. Adr: Johannes Flügelius et Anna Wellingia – Aut: Anonymus (cf. 15) EAB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Cur te tam moestum video? nunc cur tua pallor  
Inficit ora? rubor tibi tingit  
Cur <.....><sup>60</sup>

25. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas gloriosissimi fundatoris Regiae Gustaviana Adolphinae Academiae, quae Dorpati /.../ est /.../ Gustavi Adolphi, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque /.../ regis; /.../ cum in professorem juris, oratoriae et poëseos solenniter introduceretur, Dorpati /.../ 11. die Januarij, anno 1636. Aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../. <Dorpati, 1636>: S.n.)<sup>61</sup> SKB, UUB, Växjö LB (def), [Tartu UB]

DEDICATIO

REX  
GUSTAVUS  
ADOLPHUS.

*Per Anagramma;*

REX  
AUGUSTUS  
HAS DUPLO.

*SS. Reg. Maj. tis Symbolum:*

CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

*Gratia, Christe, tua est; Patriae Civemque Patremque  
Quod gero, res Sancti curo quod Imperij.*

*Gratia, Christe, tua est; quo Res Victricibus Armis  
HAS REX AVGVSTVS conduplicando DVPLO.*

5 *Christo Dante, mea Phoenix in prole renatus  
vivo: Deo Vivat Regia Progenies!*

<sup>60</sup> *Finis deest.*

<sup>61</sup> Idem 1643.46-47, 1644.15, 1645.47, 1646.19, 1647.37, 1648.24, 1649.22.

26. Adr: Johannes Jonae – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio funebris in obitum /.../ Johannis Jonae Uplandia Sveci, pastoris quondam ecclesiae Svecanae, quae Dorpati colligitur, /.../ qui /.../ anno /.../ 1636 die 19. Februarij obdormivit; cujus quoque corpus eodem anno die 25. ejusdem mensis terrae demandatum fuit: /.../ in Academia Dorpatensi /.../ declamata a /.../ Nicolao Laurentii Nicopensi. – Dorpati Livonorum, 1636: Lit. acad.) UUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

In Tumulum.  
 JOHANNES JONAE;  
*Per Anag.*  
 I, NAE, HONOS IN EA.

Dexter Apostolica praefulgens mente Sacerdos,  
 Aetherae fidei splendor, probitate coruscans,  
 Deditus aeterna Christo pietate, JOHANNES  
 JONAE, quem dederat cursum data vita, peregit,  
 5 I, NAE sanctus HONOS IN EA re. Maxima Pallas  
 Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,  
 Cecropiae clarum studijs Latiaeque Minervae,  
 Occidit! in superas exivit spiritus auras.  
 I, NAE, sanctus HONOS IN EA re. Oracula Christi  
 10 Eloquio crevere; feros sermone recentum  
 Mutavit cultus hominum; alma tincta creavit  
 Corda fide; gravitate bonos et voce sonanti  
 Instruxit, dotesque pio cum pectore junxit.  
 I, NAE, sanctus HONOS IN EA re. Candida docti  
 15 Iam tum canicies animi, jam dulce docendi  
 Pondus, jam dociles sermo qui duceret aures.  
 I, NAE, sanctus HONOS IN EA re. Divite voto  
 Ceperat ante Aram sacrae solennia coenae,  
 Et fidei incrementa novae jam sumpserat; alta  
 20 Quando Animam ire jubet supremae ad gaudia vitae.  
 I, NAE, sanctus HONOS IN EA re. Candida, Salve,  
 Salve, Anima! Humanis Salve defuncta periclis.

H. c. f.

LAVRENTIVS LVDENIVS

J. V. D. et Professor in Regia Academia  
 Dorpatensi.

27. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Georgius Mancelius (Sacris magisterii honoribus, quos, /.../ decanus /.../ Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D. juris, oratoriae et poëseos professor, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 28. die Octobris anno 1636. publice et solenniter conferebat /.../ Nicolao Olai Calmariensi. – Dorpati Livonorum, 1636: Lit. acad.) H, Kalmar StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Nunc TIBI Philosophae<sup>62</sup> spectabilis ordo coronae  
 et titulum famae, et decus immortale Magistri  
 offert: nam junxti<sup>63</sup> virtutis et artis amorem.  
 O factum celebre! o clarus collega, Sophorum

<sup>62</sup> *Philosophae* pro *philosophiae* edd metri causa

<sup>63</sup> *junxti* pro *junxisti* edd metri causa

5 Princeps, LUDENIUS, qui-ter-geminusque Professor  
praemia persolvat (voveo) virtutis et artis.

Bonivol. et amoris e. scrib.  
GEORGIUS MANCELIVS SS. Th.  
L. Acad. p. t. Rector.

28. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Andreas Virginius (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Alciden quondam magnos tentasse labores,  
Vere Maeonij Carminis ales ait:  
Nec solum tentasse, sed et duxisse quadrigis,  
Vt verbo veteri, laeta trophaea ferunt.*

5 *Et quoque TE varios quondam tentasse labores,  
Inficias quinam, CLARE MAGISTER, eat?  
Herculeos sane, si vera fatebor, ovanti  
Exantlasse tamen mente; favore Dei.*

10 *Hinc jam pro merito Musarum Praeses Apollo  
Tempora ti circum laeta brabea dabit.  
Gratulor ergo tibi; de fausto, pectore toto,  
Successu coepti, gratulor ergo tibi.*

ἐυφημίας ἔνεκα  
l. mque apponebat  
ANDREAS VIRGINIUS SS. Theol.  
D. et ejusdem Professor Primarius.

29. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Delicium Eusebiae et Sophiae, NICLAE, perenne,  
Donec nascentis surgit decor integer aevi,  
Et donec solidae certo stant robore vires,  
Sic exercitijs juvet indulgere, peractum*

5 *Ferre datur pulcra quando mercede laborem.  
Eusebia a teneris felix condiscitur annis,  
Laetaris sancta de cognitione Tonantis  
Insidet altum Evangelium bene sensibus imis.*

10 *A teneris gravior virtus tibi discitur annis;  
Mox conjuncta suis formantur dogmata nodis,  
Et rata tractantur clari praecepta Magistri.  
Tincta creat dulci Phoebus tibi corda lepore,  
Et Clarias docili jungit cum pectore dotes.*

15 *Roma, Palestina, et patrio tibi profluit ore  
Graecia, seu tensa jaculari fulmina lingua  
Seu juvet adstrictas in nodum cogere voces.  
Eloquio poteris cito permulcere Senatam,  
Exonerare pios, pariterque onerare nocentes.*

20 *Scis, velut ingenium Logices, det et explicet Artes,  
Atque animis hominum nebulas abstergeat ipsas.  
Scis, veluti concors gratas Symphonia mensas  
Ornet, et affectus dociles atque excitet aures.  
Scis, Geometra velut solers illa Arte profunda  
Evolvat terras et agros, et dividat aequae*

25 Inter sangvineos et proximitate propinquos.  
 Sidera pulcra notas tacito labentia coelo,  
 Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,  
 Et velut obliquus signorum ille ordo recurat.  
 Scis rerum causas: scis, ceu Natura perennet;  
 30 Quid quatiat terras; discussa nube tonent quid  
 Venti; distentus quid et Eurus flamine captet.  
 De Sophia, et loqueris tu de Virtute, verendi  
 Socratis aut Senecarum aut summi more Catonis.  
 Quod felix faustumque velit Deus esse Deorum,  
 35 Intendo crinem sertis, et fronde corono  
 Quam neque frigoribus Boreas, neque Sirius urat  
 Aestibus, aeterno sed veris honore triumphet.  
 I bene, quo tua te virtus vocat, i pede fausto:  
 Et sancto dici titulo consvesce MAGISTER.  
 40 Sic exercitijs juvat indulgere! peractum  
 Ferre datur merita et pulcra mercede laborem.

Sic gr. applaud.  
 Laurentius Ludenius J.V.D.  
 Prof. et pro t. DECANVS

30. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Nicolaus Nycopensus (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Nil est, a teneris ut Mercenarius annis,  
 Vulnera consuescat servitiumque Pati.  
 Nil est, quod subeat manifesta pericula Miles  
 Dum cava terrificis ictibus aera tonant.*  
 5 *Multum est, in studijs consumere dulcibus aevum  
 Signaque MVSARVM prosperiora sequi,  
 Vnde venit Mitra, et sequitur, NICLAE, beata  
 Laurus, pacis honos; et fera bella fugans.  
 Carpe Magisterij hinc te dignos semper honores,  
 10 Accipe jure bono; publicus ornat honos.  
 Carpe tuam dotem, docta virtute, Magister  
 Quam doctus Phoebus, contulit Ecce tibi.  
 Macte Magisterij insigni, NICLAE, brabeo,  
 Ad majus studium quod tibi calcar erit.*  
 15 *Perge bonis avibus; tibi nil Natura negavit,  
 Ingenio clares, Laude et honore vales.  
 Sic Patriam in terram fructu meliore redibis  
 Quae tibi pro meritis premia digna dabit.*

Honoris et gratulationis ergo apposuit  
 M. NIC. NYCOP.

31. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Andreae (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Surgit Musarum glomeratim turba Novena,  
 Suscipit et Spartae munia quaeque suae.  
 Prosilit in primo culta ordine Calliopea,  
 Heroum libris carmina dia gerens.*  
 5 *Clio gesta dehinc transactis tempora reddit,*



Nuncia praeteriti temporis acta ferens.  
 Dein *Erato* svavis modulatur amabile carmen,  
 Quam vocat omnis amans in sua vota, Deam.  
 Et cantat calamis *Euterpe* instructa sonoris  
 10 Cujus plus aliis fistula dulce canit.  
*Melpomene* tragicos mutat dulcedine cantus,  
 Svavia pro tristi carmina voce sonat.  
 Cantibus et numeris *Polymnia* dulcibus aures  
 Occupat, et signat pectine plectra lyrae.  
 15 *Terpsichore* Citharam pulsat, ducitque choreas  
 Hanc nam *Sirenas* progenuisse ferunt.  
 Nostra *Thalia* dehinc (qua vates *Daphnide lauru*  
*Exornat*) properat digna brabea ferens.  
*Vraniaque* gradu postremo et in ordine surgit,  
 20 Haec vitae variis usibus apta docet.  
 Quare convenient (quaerat quis) *turba Novena*  
 Quarum ter triplici nomine nomen erit?  
 In promptu res est: Doctus qui sarta meretur  
 Inter adest doctos; taleque nomen erit.  
 25 NICLAUS Proles *Gotthorum Calmariensis*,  
 Sacra virorum inter nomina nomen habet.  
 Hujus in artis opes, bifidi sub vertice montis  
*Myrtum* cum *lauru turba Novena* legat.  
 Queis possint merito redolentia nectere sarta,  
 30 Quae tribuant ipsi jura *Magisterij*.  
 Nectite *Pierides*, properanter nectite flores,  
 Et decorate virum, postulat almus honos.  
 Ergo quisquis es, hos noli temerare viator  
 Flores, quin tu, quos *Phoebus* amavit, ames.  
 35 Nunc tu candoris cultor, doctissime Amice,  
 Sume tibi quas fert culta *Minerva* rosas.  
 Jura *Magisterij* quae confert doctus *Apollo*,  
 Sume, etenim assidui haec signa laboris erunt.  
 Quod superest, minime *Dryadas*, *Cereremque* vocatam,  
 40 Non harum comites in mea vota volo.  
 Sed te, CHRISTE voco, qui alti flammantia coeli  
 Templata tenes; torques, quidquid et orbis habet.  
 Aspira coeptis his et conatibus; alto  
 Numine tuque hujus dirige, quaeso, viam.  
 45 Ut Domino, Patriae, sibi sit, decorique patronis  
 Aonidum, peperit quos sibi dulcis amor.  
 Sit laus, imperium *Patri* sit et aequa potestas  
*Gnato* cum sacro *Flamine* fiat, Amen.

Gratulabundus fudit

M. PETRVS ANDREAE Arbogia-Wesmannus

32. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Turdinus (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Hoc est quod dixi: toleravit soepe labores*  
*NICLAUS* varios, queis captet splendida dignus

*Dona MAGISTRII quae contulit arte MINERVA.  
Ergo non hoc passus amor, nec prona voluntas*  
5 *Vt jam abeat nostris inhonoris versibus; Ille  
Nam senior, qui dignus erat, quem carmine PHOEBVS,  
PAN calamis, fidibusque LINVS modulantibus ORPHEVS  
Concinerent, atque acta Viri, laudesque sonarent:  
Accipe jura MAGISTERII hinc, quae MVSA probatis*  
10 *Confert; et studiis praeclaris praemia digna,  
Accipe praemia, quae gemmas et munera regum  
Vincunt, quidquid in OCEANO quoque nascitur amplo.  
Vtere collatis, percinctus honoribus hisce,  
Vt Domino, ut patriae, ut gratus tu sisque patronis.*

Amico suo singulari posuit  
M. PETRUS TURDINUS Sch. Conrector.

33. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Jacobus Balccius (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qui bene certavit Miles, sua jure reportat  
Praemia; laetatur conditione rata.  
Tu bene certasti, decus immortale Camoenae;  
Praemia transacto digna labore refers.*  
5 *Vive, vige, et longum crescant hi frondis honores:  
Ingenio felix, clare Magister, AVE.*

Sic app.  
JACOBVS BALCCIVS Gryphiswal-  
densis Pomeranus

34. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Ebberus Olai (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ingenii proferre decus, licet esse decorum,  
Et validis humeris tollere honoris opus.  
Dona Ceres renuit sua nigris abdere Sirrhis,  
Damnari tenebris, jure negavit, opes:*  
5 *Fax adamas auro; Doctrinae laurea fax est,  
Indita quantumvis fax sua cuique nitet.  
Aurea Phoebaei fax esto corolla peculi:  
Arteque demulsum cinge tiara caput.  
Atque manum nitido facilem tu clare Pyrope*  
10 *Annule cinge: apta sede quiescit honos.*

ALIVD.

*Fertur honos an onus? quid? Mitra, corolla, Pyropus  
Mole gravant? Saxis ter magis illa gravant.  
Majori auricomus quia lumine Cynthius ardet,  
Syderibus reliquis ter magis ergo volat.*

Moris et honoris ergo apposuit  
EBBERVS OLAI Calm.

35. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Ambrosius e Palma (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Gratulor extracti redolentia sarta Trophaei,

Quae digne summo dantur honore tibi.  
 Gratulor optatam, NICLAE, tibi esse Tiaram,  
 Quam dederat Clarij splendida fama Chori.  
 5 Hanc meritam merito de more teneto Corollam,  
 Auspicijs felix sit, precor, illa tuis.  
 Haec tibi grator ovans, et vitae tempora longa  
 Felicis; nec non praemia plura precor.

Non tam moris, quam amoris e. fudit  
 Ambrosius e Palma  
 LL. Studiosus.

36. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Carolus Valeriani (cf. 27)

H, Kalmar StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ingenij propter dotes et amabile donum,  
 Assolet AONIDVM munera ferre chorus:  
 Sic, NICLAE bonus (dat PHOEBVS praemia digna)  
 Commeritum carpis, dignus honore, decus.*  
 5 *Vtere nunc (tota voveo quod mente) MAGISTER,  
 Sertis, quae textit DORPATA docta tibi.  
 Vtere; vergat opus Divini in Nomine amplas  
 Laudes, et patrij commoda magna Soli.*

Praeceptoris suo honorando posuit  
 CAROLUS VALERIANI Nycopensis.

37. Adr: Benedictus Oxenstierna – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de modestia, quam /.../ in Regia Academia Dorpatensi /.../ 27. die Februarii anno 1636. /.../ publice habebat Sveno Magni Hagelstenius. – Dorpati, 1636: Typ. acad.)

UUB, SKB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 DEDICATIO

*Celse Gubernator Levonum, Dux Militiai  
 Illustris, Baro Illustris, BENEDICTE, Potentum  
 Oxenstiernorum Decus Immortale Virorum:  
 Quotquot et Arctoi Terrestris Numinis inter-*  
 5 *Estis consiliis, vexilligerasque phalanges  
 Ducitis, Illustres meritisque, Togaque, Sagoque:  
 Magnifici et nostri Proceresque Patresque Lycei;  
 Et Dorpatensis nitidissima fulcra Senatus:  
 Et delectorum Juvenum Generosa Corona;*  
 10 *Adsitis. Sic vester Honos, Nomenque coruscant.*

Vestram J. G.  
 V. M. R. A. et C.  
 V. H.  
 Humilime,  
 Observanter,  
 et officiose colens  
 LAURENTIUS LUDENIUS Ph. et J. U. D.  
 Prof. Juris, Orat. et Poës.

38. Adr: Christophorus Pegius – Aut: Ericus Littorius (Oratio de castitate, /.../ in Regia Academia Dorpatensi, /.../ die 25. Maij, anno 1636, /.../ publice et memoriter recitata, a Christophoro Pegio, /.../ - Dorpati, 1636: Typ. acad.)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Literis et moribus Politissimo,*

Dn. CHRISTOPHORO PEGIO,  
amico suo singulari.

Λογογρῖφος  
PEGIUS  
PES. PIUS. JESU.

Qvae Tibi sunt cordi, virtutis fulcra decorae,  
Horum conveniens omina nomen habet.  
Junge caput caudae: jam jam PES subditur aptus,  
Quo Tibi virtutum dulce geratur onus.  
5 Si medium tollas: PIUS ilicet ibis honore,  
Sed JESU (dempta est frons mediumque) Duce.

Festine gratulabatur  
ERICUS LITTORIUS  
Rosl. Sv. S.S. Th. St.

39. Adr: Christophorus Pegius – Aut: Jonas Nicolai Nycopensis (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Illicitae, est felix, Veneris qui munia nescit,  
Ad casti properans jura probata boni:  
Huic merito laudes venturas dixerit omnis,  
Quoque jubent Musae, vita beata feret.*  
5 *CHRISTOPHORVS studio sequitur meliore, quod optat  
Mens casta, atque animus castus in orbe jubet;  
Inde suum munus cum dexteritate subibit,  
Atque feret studio praemia digna suo.  
Castos casta decent: castis Deus annue coeptis;  
10 Casta sit et felix vita futura, precor.*

Intimo suo Dn CHRISTO. PEGIO, de Castitate per-  
oranti, animo lubenti haecce adposuit  
JONAS NICOL. Nycopens.

40. Adr: Christophorus Pegius – Aut: Emundus Johannis Lynaeus (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Nulla persistit sapientiae laus  
Abditis mentis latebris repostae,<sup>64</sup>  
Castitatis ni radio refulgens  
Sit velut oestro.  
5 Vivet extento inde Josephus aevo, et  
Notus ad coelos animus Susannae:  
Hos aget penna metuente solvi  
Fama superstes.  
Impio autem Sardanapalum amor  
10 Deditum, exurit; meliore fato  
Laetus Arbaces, reparatque regnum,  
Dignior illo.  
Te quoque aeternum sequitur perennis  
Fama; Virtutem teneris sacram dum  
15 Mentibus suades: bene perge; coeptis

<sup>64</sup> *repostae* pro *repositae* S metri causa

Adsit JESUS.

Honoris et amoris  
ergo apposuit,  
EMUNDUS JOHANNIS L. S.

41. Adr: Nicolaus Prytz – Aut: Petrus Andreae (Oratio de jurisprudentia; quam, /.../ in Regia Academia Dorpatensi /.../ 2. die Septembr. anno 1636. /.../ publice habebat /.../ Nicolaus Prytz /.../ - Dorpati Livonorum, 1636: Lit. acad.)

SKB, H,[Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimo ac Humanissimo Ju-  
veni- Viro,*

Dn. Magistro NICOLAO PRYTZIO.

Orationem de *Jurisprudentia*, solennem et con-  
cinnam enarranti, haec paucula, ut Amico suo longe  
charissimo, adjecit,

*M. PETRUS ANDREAE, Arbogiensis.*

Annales, Fastos, si tentes volvere cunctos,  
Tempora sique velis mundi scrutarier orta;  
*Jura*, scies, *justo* simul et sint condita *iniquo*.  
*Jura aequa* patriae dispensant cuncta *bilance*,  
5 *Jura* dabunt, vigeat Res-florens-publica quaevis.  
*Jura* hominem incultum primum sylvestribus antris  
Eliciunt, purgant et *iniquo* secula victu.  
Utilibus *rectum* suadent praeponere *jura*  
Communes sequier *leges*, injustaque nunquam.  
10 Permittunt fieri socio, nec jurgia civi.  
Haec propter colimus *leges*, animosque ferarum  
Exuimus. Plenis haec quisquis sensibus hausit,  
Irruet intrepidus flammis, hyberna secabit  
Aequora, confertos hostes superabit inermis.  
15 Hinc *Themidos* tu potor aquae, NICLAE Magister,  
*Aequi* quod satagis narrare encomia; laudo.  
Laudo, et nomen erit virtus, multosque per annos  
Florendo tua fama, fides pietasque manebunt.  
Quod superest: Supplex Divum sacra Numina posco.  
20 (*Non Dryades Nymphae sint in mea vota vocandae*)  
Vt felix abeas, redeas quoque pectore salvus.  
I bene; Iter coeptum disponat JOVA supremus.

42. Adr: Matthias Vermerus – Aut: Georgius Mancelius (Disputatio theologica de augusto Salvatoris nostri testamento, sive sacratissima Domini nostri Jesu Christi coena, /.../ in Academia Regia Dorpatensi /.../ sub praesidio Andreae Virginii, /.../ publicae, /.../ inquisitioni /.../ 24. Augusti, /.../ submissa a respondente Matthia Vermero /.../ - Dorpati Livonorum, 1636: Lit. acad.)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ornatiss. et Doctissimum Virum-Juvenem Dn.*

MATTHIAM VERMERUM Transsylva-  
nia-Saxonem,

De COENA DOMINI pie et erudite disserentem.

Qvis sit divinae *Cibus*, et qvae *Pocula* mensae;

qvi sint *Conviva; prava usurpatio Coenae*  
 quae sit; VERMERE, ad clarum tu ostendere Solem  
 non dubitas ex VERBO, ad quod delirat acuti  
 5 virga Mathematici, Sophies et acumen hebescit.  
 Missa tuo adspiret coelo fortuna labori.

Sic honoratum ire voluit sub meditationibus  
 sacris a. d. V. 8br. 1636  
 GEORG. MANCELIUS Sengallus, SS. Th. Lic.  
 Pastor, Professor, Praepositus, et Proto-Synedrii,  
 quod in Livonia est, Adsector, Academiae Dor-  
 pat. p. t. Rector.

## 1637

1. Adr: Elias Granzin – Aut: Laurentius Ludenius (Lugubris ejulatio, Das ist Ein Trawriges Kläglich  
 Heulen, vber den unvermuthlichen Todesfall, /.../ Gustavi Adolphi Magni, der Schweden, Gothen vnd  
 Wenden König, /.../ Gehalten durch Eliam Granzinn, Pastoren bey S. Nicolai Kirchen in Wyrlandt, den  
 6. Novemb. Anno 1634. – <Dörpt in Lieffland, 1637>: S. n.) EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Rev. Claritate, Doctrina et Humanitate conspicuo Viro*

DN. ELIAE GRANZIN,

Ecclesiae Christi, quae in **Maholm** colligi-  
 tur, Pastori Vigilantissimo, Amico suo  
 venerando.

Arctoi effulgens GUSTAVI Regis ADOLPHI  
 Heroas Virtus alios supereminet altos!  
 Ipse Opifex rerum, qui terras Numine torquet,  
 Omnibus augustum voluit praecellere rebus!  
 5 Regibus Arctois, Celsis Heroibus, ortus  
 Rex Hominum: Rex Illustri quo Celsior alter  
 Nec Pietate fuit, nec bello major et armis!  
 Rex Hominum; Sancti Custos, Defensor Honesti,  
 Expellens adytis mentitos Numina Divos  
 10 Indiget; Veri Divinos Numinis haustus  
 Per populos spargens, animos in nube jacentes  
 Illustrans monitis, sensusque auresque retorquens  
 Ad sanctum jubar, immensique ad luminis ignes.  
 Rex Hominum: linguaque manuque et pectore Verus:  
 15 In commune Bonus, sancta Virtute Serenus.  
 Rex Hominum: Gravium semper sincera bonorum  
 Sors Regi concessa; pius dum vultus honestat,  
 Condecorant Mores, Animus sublimior ornat.  
 Justitia utilibus rectum praeponere jussit:  
 20 Augustum Instruxit crescens Patientia corpus;  
 Enthae Temperies mentem; Prudentia sensus.  
 Illustris dicto et facto Constantia, semper  
 Flexit et excellens humana pericula Virtus.  
 Rex Hominum; Rex Arctous GVSTAVUS ADOLPHVS  
 25 Induperatorum Flos atque Medulla bonorum.

Conglomerare manum bello, et concurrere dextris  
 Ah! quoties jussit Pietas; succurrit, in armis  
 Esse mori pulcrum. Sancto Rex agmine semper  
 In medio, chlamyde et clypeo conspectus et ense!  
 30 Ingentes semper pugnans, ceu caetera nusquam  
 Bella forent, nulli toto morentur in orbe;  
 Sic Martem indomitum, Regemque per arma ruentem  
 Vidimus et Celsos Comites, pulcherrima Gentis  
 Lumina, o Illustres Heroas! Celsior usque  
 35 Svecicus enitet Hannibalis, Duce et Auspice Christo.  
 Enitet! At, Columen rerum GVSTAVUS ADOLPHVS  
 Praesidium ruituri orbis, rediviva voluptas  
 Mundi hujus; Felix inter Victricia Victor  
 Concidit Arma! Pio ponit cum sanguine vitam!  
 40 Sic sanctus Pelicanus agit, se lancinat unco  
 Rostro ipso ut vivant redituram pignora vitam!  
 Pro Grege depugnans Christi, pro Legeque pugnans  
 Morte cadit Victor, Vitam moriendo reponit  
 Arctous Simson. Sic o Deus, Arbiter aevi,  
 45 Accipere hanc Animam sanctis Virtutibus altam,  
 Mortali augustum Regemque exolvere cura  
 Et rutili voluit transferre ad limen Olympi!  
 Arctoi effulgens GVSTAVI Regis ADOLPHI  
 Heroas virtus alios supereminet omnes!  
 50 Morte sua Victor vivit GVSTAVUS ADOLPHVS.  
 Vivit! Et, o Sanctae Eusebiae venerande Sacerdos,  
*Delicium Vraniae, Gregis acer Pastor, ELIA*  
 GRANZIN; honorato Rex vivet carmine; Vivet  
 Vsque tuis scriptis, sancto famulante labore  
 55 Quae profers, pulcro postquam spiramine et alto  
 Spiritus aethereus perfudit lumine mentem.  
 Coelestem usque agitas mortali in corpore vitam;  
 Oblitus repit quod humi, cava nubila tranas  
 Terrarumque jubes nos linqere mente quod unquam est.  
 60 Nobilitas coeli sic dives sanguine Christi,  
 Nobilitas coeli sancta cruce dives habetur:  
 Sidereos inter Proceres GVSTAVUS ADOLPHVS  
 Aeterna radiat Paradisi in luce beatus:  
 Felix qui tantas hominum proponere pergis  
 65 Delicias animis, coelique arcana reponis,  
 Semper honos, nomenque bonum, laudesque triumphant.

Quod ipsum app.  
 LAURENTIUS LUDENIUS Ph. et J. V. D.  
 in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est ad  
 Embeccam, Professor Juris, Oratoriae ac Poëseos,  
 et pro t. Rector Magnificus.

2. Adr: Elias Granzin – Aut: Georgius Mancelius (cf. 1)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*GVSTAVVM MAGNVVM nulla unquam obliterat aetas.  
 Coelica nam vero servabat dogmata cultu,*

atque per ingentes animo praesente catervas  
 ibat: Sed (miserum) mediis occumbit in armis.  
 5 Hinc desiderium nobis patriaeque relinquit  
 grande sui, Svecorum Rex GVSTAVVS ADOLPHVS.  
 Vin' testes? pervolvito tot monumenta virorum  
 doctorum, ELIAS merito quibus adnumeratur,  
 non qui flammifero transvectus ad aethera curru;  
 10 Sed qui WIERLANDos docet, is cognomine GRANZIN.

σμπαθ. ἔν. fundeb.

GEORGIUS MANCELIUS Sengallus, SS.  
 Theol. Licentiatus, ejusdemque in Academia Gusta-  
 viana Professor ordin. ad B. Joannis aedem Pastor  
 primar. et Senior, circuli Dorpat. Praepo-  
 situs, ac Proto-Synedrii Regii Adsector.

3. Adr: Elias Granzin – Aut: Andreas Besicke (cf. 1)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ergo nihil tutum Parcarum a legibus: omnis  
 Communem mortis cogitur ire viam!  
 Parcere subjectis, mors nescit parcere Regi!  
 Parcere mors pueris, parcere nescit avis.  
 5 Eloquar an sileam? referens horresco dolorem!  
 Parcere GUSTAVO nescia Parca fuit!  
 GUSTAVUS cecidit tot Regum Lumen ADOLPHUS!  
 GUSTAVUS toto maximum in orbe decus!  
 GUSTAVUS cecidit tot Regum victor ADOLPHUS!  
 10 Cui non ulla parem secla futura ferent.  
 GUSTAVUS cecidit Romani virga Baali!  
 Sed Gedeon, Simson, Assaque Christicolum.  
 Tu tanti mecum fles funera Regis, ELIA,  
 Signa secuturae cladis et esse moves.  
 15 Et bene: nam mortem Gedeonis, Simsonis, Assae  
 Damna Palaestinis quanta secuta plagis!  
 Invadent nostras quoque tanta pericula terras,  
 Ingredimur vitae ni melioris iter.  
 Perge ita Christicolam sine fine monere catervam,  
 20 Non labor in Domino talis inanis erit.

ANDREAS BESICKE Ecclesiae  
 Luggenhusanae Pastor P.

4. Adr: Elias Granzin – Aut: Jacobus Balccius (cf. 1)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Sic ergo Magnus cecidit GVSTAVVS ADOLPHVS  
 Dum summi certat pro Grege, Lege, Dei!  
 Rex cecidit! verum Rex Victor morte triumphat,  
 Arctous nunquam Rex-Leo inultus obit.  
 5 Illustres certant Heroës; Christus Jësus  
 Victrices nostras efficit ire manus.  
 Christe fave coeptis, victricia signa sequentur:  
 Hostis et invictus, te Duce, victus erit.  
 Et, Vir clare, decus Musarum nobile. ELIA,  
 10 Delicium patriae praesidiumque tuae:



*Qui tantos sancti loqueris narrasque labores  
Regis, mansura laude beatus eris.  
Vive, vigeque diu, laudabunt secula facta:  
Virtus quam tribuit, fama perennis ovat.*

Sic ex animo P.  
JACOBUS BALCCIUS Gryphiswald.  
Pom. SS. Th. ac Ph. Stud.

5. ADR: Elias Granzin – Aut: David Ertman (cf. 1)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Mos fuit antiquus res gestas carmine dignas  
Laudibus ac verbis semper celebrare canoris.  
Facta Ducis cecinit divinus Homerus Achillis:  
Andinus Vates Aeneae praelia dixit.  
Sic quoque tu celebras divina voce LEONEM  
5 Quem Deus Arctois oris in Teutonis oras  
Excivit; pressis ut ferret Marte salutem  
Quos Aquila imperium cogebat jure furenti.  
Fortiter hoc etiam fecit felicibus armis  
10 Funderet ut tandem pro pressis sponte cruorem  
Illustrem; Victor quoque sic in morte triumphans.  
Vt vivant moritur, Pelicanis more fidelis  
Dum revocat miseros in vitam sanguine pullos.  
Teutonis ora luit properata morte peremptum  
15 Heroa o tantum! Verbis dum talia profert:  
Rex Svecus moritur, magnus *Gustavus Adolphus*  
Cui similem mundus non vidit nonque videbit!  
Ergo quod Regem verbis ornare canoris  
Aggrederis tantum, grates Ecclesia dicit,  
20 Vir Reverende, tibi: Veniant mox secula nobis,  
Quo redeat Phaenix talis, qui coepta Jehovahae  
Perficiat, fortis tandem vel moenia Romae  
Evertat, nobis ceu pagina sacra revelat.

DAVID Ertman SS. Theol. Studios.

6. ADR: Svenone Magni Hagelstenius – Aut: Ericus Matthiae (Oratio enarrans quod Dn. professoribus pie obedire teneantur studiosi; quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 12. Aprilis, anno 1637. /.../ habebatur a Svenone Magni Hagelstenio, /.../ Dorpati Livonorum, 1637: Lit.Acad.) SKB, UUB<sup>65</sup>, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo et Literatissimo juveni;*  
DN. SVENONI M. HAGEL-  
STENIO, ELEGANTISSIMAM DE OBE-  
DIENTIA ERGA DN. PROFESSORES ORATIO-  
nem publici Iuris facienti, et in patriam propediem abi-  
turo, Amico et Contubernali suo plu-  
rimum dilecto.

Exulta Muis viscera quae geris,

<sup>65</sup> Gratulatio in UUB (Orationes Varias Svecorum Vol III 2. Supplem. 1636-1641 Sv. Litt. tal. Saml.-bd). In exemplari altero (UUB Orationes variae Svecorum Bd III 1636-1641 11) gratulatio deest.

Haec grata Musarum Ducibus, probas,  
 A queis, *HAGELSTENI* erudite,  
     *Perpetuum* referes *honorem*,  
 5 Lingvae diserto Flumine disseris,  
 Ardore quo comprehendere mutuo,  
 Discens Docentem pergat, unde,  
     Digni abeant oleo labores,  
     *Embecca* te ergo rite suum vocat,<sup>66</sup>  
 10 Te *Sala* Florens laude Pater, loco,  
 Nati colet gratans Paternis,  
     Te Reducem laribus venire,  
 Ad quos quia ibis, perge avibus bonis,  
 Salvisque votis, si placeat redi:  
 15 Commiltiones his sequemur,  
     Ominibus precibusque euntem.

7. Adr: Sveno Magni Hagelstenius – Aut: Ericus Matthiae (Dissertatio theologica exhibens quaestiones arduas de libero arbitrio, poenitentia, sacramentis, cultu divino et vita aeterna, /.../ in Regia Academia Dorpatensi sub praesidio Andreae Virginii /.../ publicae censurae submissa a Svenone Magni Hagelstenio, /.../ d. <> Maij anni 1637. – Dorpati Livonorum, <1637>: Lit. acad.)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Praestantissimo et Literatissimo juveni*  
 SVENONI M. HAGELSTENIO,  
 Publice et erudite disputanti, et propediem in Patri-  
 am abituro, Amico et contubernali suo plu-  
 rimum dilecto.

Ardore doctrinae vigili flagras,  
 Et crebro calcas ardua pulpita,  
     Ab his *HAGELSTENI* erudite,  
     Egregium referens honorem.

5 Dum sacra docto pectore disseris,  
 Ostendis ingens ingenii decus,  
     Inventa dum tractas Sophorum  
     Plaudit Apollo faventque Musae.

*Embecca* te ergo rite suum vocat,<sup>67</sup>  
 10 Te *Sala* florens laude Pater, loco  
     Nati colet gratans Paternis  
     Te Reducem Laribus venire.

Ad quos quia ibis, perge avibus bonis,  
 Salvusque, satis si placeat, redi:  
 15 Commiltiones his sequemur  
     Ominibus precibusque euntem.

<sup>66</sup> Idem 1637.7.9-16

<sup>67</sup> Idem 1637.6. 9-16

Applaudebat  
ERICUS MATTHIAE Rosla-  
gia Svecus

8. Adr: Fridericus Hein – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de medicina: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 31. die Octobris anno 1637. /.../ publice enarrabat, Fridericus Heinius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1637: Lit. acad.)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo Dn. Peroranti.*

FRIDERICUS HEIN:

*Per Anag:*

HINC FRVERE DIIS!

*Invigilans studiis, FRIDERICE, et rebus honestis,  
DIIS FRVERE HINC commodis! Christo Auspice,  
HINC FRVERE DIIS commodis.*

Quod ap.  
LAURENTIUS LUDENIUS Ph. et J.V.D.  
et Professor

9. Adr: Fridericus Hein – Aut: David Cunitius (cf. 8)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Cultor fidelis Paeonii Chori  
HEINI, diserto quod λόγῳ evehis  
Artem hanc sacratam, quam ipse Apollo  
Primitus excoluit Verendus;  
5 Rem tune praestas ingenuis Viris  
Gratam, Juventae Pieridum sacrae  
Arti decoram, olim JEHOVAE  
Fructifero tribuendam honore?  
Sic perge. Momos nil facito malos,  
10 Instar canum qui soepe petunt Bonos.  
Virtute tanta macte semper,  
Opto pio studio vigorem!

τῆς φιλίας ἔνεκα deproperabat  
DAVID CUNITIUS Freienwaldio  
Pomeranus

10. Adr: Joachimus Kurick – Aut: Sven Hagelstenius (In obitum /.../ infantis Joachimi Kurick /.../ Gerhardi Kurick praefecti arcis Runenburgensis /.../ filioli unici /.../ cujus /.../ particula /.../ in summi parentis manum, /.../ die <17.> Januarii anno 1637. /.../ emigravit: sed corporis exuviae terrae /.../ gremio 20. Feb. sunt concreditae: /.../ consecratum a Svenone Hagelstenio, Upl. Sveco. – Dorpati Livonorum, 1637: Lit. acad.)

LAB, [Tartu UB]  
EPICIDIUM

*Morte sublatum teneris in annis  
Filium lugens, bone mi Gerharde,  
Spem domus, serae vegetam columnam  
Inde senectae.  
5 Vt tuos Matrisque oculos juvabat  
Hoc thori pignus roseum virentis:  
Dum fuit coram speciosa chari  
Patris imago:  
Sic tibi tristes gemitus ciebat,*

- 10 *Aruit quando recidens ad instar  
Flosculi proles: meliore campus  
Sorte beandus:  
Hic brevi tantum spatio dierum,  
Floruit pulcro Joachimus ore;*
- 15 *Pavit aspectu patrios ocellos  
Delitioso.  
Hujus ad cunas saliëre Divae,  
Spes, Fides, ardens Pietas, Amorque:  
Jugiter Musae Charitesque alumno*
- 20 *Serta pararunt:  
Sed tamen magni Fabricator orbis  
Sorte majorem hac tribuit salutem,  
Prava ne mutant animum tenellum  
Facta malorum.*
- 25 *Hanc neges sortem minime, GERHARDE,  
Filio. Qui ne foret orbis orbis  
Fecit, apta te faciet quotannis  
Prole beatum.*

Defuncti ad parentes prosopopaeia.

- 30 *Dulces mei parentes,  
Vos conjuges faventes,  
Vigetis ut columbae:  
Beatuli Parentes,  
Felicius Valentes*
- 35 *Si me dato puello  
Frui diu liceret.  
Namque aemulas rosarum  
Genas dedi videndas  
Et aemulum Sacrarum*
- 40 *Os rettuli Dearum,  
Loco satus decoro,  
Parente natus amplo  
Utrique spes parenti  
Domus decus futurae,*
- 45 *Pulchellulus puellus  
Bellus beatulusque.  
Beatulus puellus  
Coelo receptus alto  
Choris et Angelorum*
- 50 *Coetuque Sanctorum  
Nunc perfruor beate:  
Vitae beatioris  
Nunc perfruor Corona  
Et gaudio perenni.*

11. Adr: Petrus Langius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de aquis: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 30. die Octobr. Anno 1637. /.../ publice recitabat Petrus Langius /.../ - Dorpati Livonorum, 1637: Lit. acad.) (cf. 66)

SKB, LNB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Pietate Doctrina et Humanitate  
conspicuo Dn.*

*PERORANTI.*

PETRUS LANGIUS,

*Per Anagr.*

PENITUS LARGUS.

Anne ab Aquis, ad Aquas, subter, super, in, sub Aquisque

Surgunt rei miracula?

PETRE, *Decus Patriae*; potuisti dicere, quanta

Surgunt Aquae miracula.

5 Tu PENITUS LARGUS! potuisti dicere, sanctae

PENITUS LARGUS scientiae!

J PENITUS LARGUS; dices majora subinde

Tantae rei miracula.

Qvod animitus vov.

LAVRENTIVS LVDENIVS,

PH. et J.V.D. et Professor.

12. Adr: Petrus Langius – Aut: David Ertman (cf. 11)

SKB, LNB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Mirror Aquas! quaeris? quia tam substantia mollis,*

*Dura tamen molli saxa cavantur Aqua.*

*Vis qualis sit Aquae tota experientia testis;*

*Qui non expertus scripta diserta legat.*

5 *Tu legis! haud credis? spumantia Flumina quare;*

*Et varios motus Flumini inesse vide.*

Conturbernali suo svavissi-

mo scripsit

DAVID ERTMAN

Gryphenberg. Pom.

13. Adr: Petrus Langius – Aut: Bartholomaeus Hillius (cf. 11)

SKB, LNB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Multa tenent merito praeclari pondera honoris

Corpora, queis parent sedulitate, hominum:

Plurima sed retinent praeclari pondera honoris,

Queis animus paret sedulitate, hominum.

5 Sedulitate tibi parent, *Doctissime PETRE,*

Intellectus, Mens, Ingeniumque hominum.

Arte Perorandi, dum docte flectere pergis

Mentem, quo cupias, ducere quoque velis.

Macte Perorando pergas, *dulcissime Amice;*

10 Sicut te Virtus, sicque sequetur Honor.

Amice apposuit

Bartholomaeus Hillius

Colberga-Pomeranus

14. Adr: Petrus Langius – Aut: Adrianus Verginius (cf. 11)

SKB, LNB, [Tartu UB]

## GRATULATIO

*Svnt arcana quidem non divulganda Potentum,  
 Non reticenda tamen facta stupenda DEI:  
 Nam miracla<sup>68</sup> DEI pervolvit, praedicat, auget,  
 Vir pietate gravis, pectore, voce, stylo.*  
 5 *LANGIVS ergo pius, miris mirandae JEHOVAE  
 Qui miracla<sup>69</sup> modis amplificare studet:  
 Illius ast studium, quod Docta Corona probavit,  
 Dente malo rodens Zoilus alter erit.  
 Facta stupenda DEI, tu LANGI, perge referre  
 10 Voce styloque, DEI gratus Amicus eris.*

Amico fraterno f.  
 Adrianus Verginius  
 Julino Pomeranus.

15. Adr: Petrus Langius – Aut: Christophorus Michael (cf. 11)

SKB, LNB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Principio Flammam, Tellurem ac Aethera Verbo  
 Et Mare velivolum condidit Ipse DEUS.  
 Ille Sophus vere est, haec qui Miranda JEHOVAE  
 Lumine Naturae ponderat atque docet.*  
 5 *Imprimis merito vim nos miramur Aquarum,  
 Quas DEUS in certo limite constituit.  
 Aeqvoribus magnis hinc firma repagula fecit  
 Verbo, ne perdi parvula Terra queat.  
 Hinc Sapienter agis quoque Tu, Doctissime LANGI,  
 10 Conspicue quod nos Flumina nosse doces.  
 Perge ita, Tu Sophiae Cultor, tua coepta secundet  
 CHRISTUS, sic Patriae Gloria maxima eris.*

Ita gratulatur  
 CHRISTOPHORUS MICHAEL  
 Frosanus Saxo.

16. Adr: Petrus Langius – Aut: Jacobus Friederichs (cf. 11)

SKB, LNB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Quid mirabilius, quod ab unda impellitur unda,  
 Et fluit ac refluit fluctibus unda suis?  
 Et tamen haud ultra fines fluida unda vagatur,  
 Semper et in claustris clauditur unda datis.*  
 5 *Est mirabile opus, Dominumque DEVMque potentem  
 Rerum testatur: Laudat opusque DEVM.  
 Laudet opus sine fine DEVM; Tu perge, Potentem  
 Dicere Aquarum; atque hinc laus tua semper erit.*

Fratri suo dilectissimo  
 apposuit  
 JACOBUS FRI EDERI CHS /  
 Riga-Livonus.

<sup>68</sup> *miracla* pro *miracula* edd metri causa

<sup>69</sup> *miracla* pro *miracula* edd metri causa

17. Adr: Laurentius Erici Liungius – Aut: Isacus N. Sicrenius (Oratio de creatione: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est ... 22. Maij, anno 1637. publice /.../ habebatur a Laurentio Erici Liungio, /.../. Dorpati Livonorum, 1637: Lit. acad) Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Literis et moribus excultissimo Juveni*  
Dn. LAVRENTIO ERICI LIVNGIO  
Sudermanno, Populari et amico syncere dilecto,  
de CREATIONE Peroranti.

*Fabula Nasonis, quae sint primordia, narrat,  
Verius ast Moses, quae sit origo, docet.  
Perge (bonis avibus) rimando scripta sacrorum  
Vatum; Erit hinc tibi Laus, gloria, magnus honor.*

Moris et amoris ergo apposit  
M. JSACUS NI. SICRENIUS, Holm.

18. Adr: Laurentius Erici Liungius – Aut: Andreas Laurentii Aritander (cf. 17) Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Dvm speculum nitido fulgens splendore, LIUNGI,  
Inspicis, en Svadae nobile nectis opus.  
Illud opus Coeli praeclarum ostendis et orbis,  
Pergito susceptis addere plura tuis.  
5 Gratulor ingenio molli, quod fata dederunt,  
Ingenium crescat dexteritate rei.  
Annue tu votis, Deus o mens provida rerum;  
Nominis et patriae fulgeat hocce decus.

Conterraneo suo svavissimo lubens adposuit  
ANDREAS LAVRENTII Nycopensis.

19. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Laurentius Ludenius (Gratulationsschrift zur Hochzeit v. Salomon Matthiae u. Elsa Neuhausen d. 12.6.1637 v. Prof-n u. Stud-n d. AG. – Dorpati, 1637)

Tallinn SA, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Clara genus clarumque trahens a Sangvine Nomen,  
Qua propria sanctissimus Viragine  
Te LENE JHESulVS BEANS.  
Candida purpureum mittit super ora ruborem,  
5 Qua propria sanctissimus Viragine  
Te LENE JHESVS est BEANS.  
Virginea insignis virtute, habituque verenda,  
Qua tradita sanctissimus Viragine  
Te LENE JHESVS est BEANS.  
10 Natura mitis, mitis crescentibus annis,  
Qua tradita sanctissimus Viragine  
Te LENE JHESVS est BEANS.  
Coelestis Fidei splendor, Pietate coruscans,  
Qua credita sanctissimus Viragine  
15 Te LENE JHESVS est BEANS.  
Candida perpetuum testantur Nomina Amorem,  
MOTAM HALitANS MOTIS Viraginem tonis,  
Et LENE JHESVS est BEANS!

20 Vivite felices, conjunctim vivere digni,  
 Perferte mutuo sacrum voto jugum;  
 Dulci Juventae Vivite.  
 Vivite concordi junctissima pectora lecto,  
 Et Gentis illustrate Nomen inclytum,  
 Sic LENE JHESVS est BEANS!

Quod animitus prec.  
 LAURENTIUS LUDENIUS Holsat.  
 Ph. et J.V.D. in Regia Academia Dor-  
 patensi Professor Juris, Oratoriae  
 et Poës. Atque pro t. Acad. R.

20. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Andreas Virginius (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Acclament alii taedas, cum compare casta,  
 Quas nunc accendis, carmine syrmatico:  
 Est mihi mens saltem gratari, clare Magister,  
 Collega, Eusebiae delictumque Deae.*  
 5 *Gratulor ergo tibi, Sponsam quid moribus aptam  
 Nactus, quae requies grata futura tibi:  
 Cum qua per multos vivas feliciter annos  
 In pietate, bona pace fideque tori.  
 Sic Deus et thalamum larga bonitate beabit;  
 10 Sic sobolem vobis, sic alimenta dabit.*

A.V. D. et P.P.

21. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Georgius Mancelius (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Clarissimo Dn.  
 M. SALOMONI MATTHIAE,  
 Orientalium lingvarum in Academia Regia Dorpatensi P. P.  
 Collegae et amico suo honorando,  
 SPONSO.*

Tv quid sit DAGES LENE, et quae littera cauda,  
 in fronte et medio sit potis ipse doces.  
 Et quid sit DAGES FORTE, et quae littera recte  
 in medio tantum sit potis, ipse doces.  
 5 In medio semper *tu forte* impingito *Dages*,  
 omne feres punctum, quicquid et ipse cupis.  
 VITA, SALUS, SOBOLES tibi sit; *praeclare Magister*,  
 a DOMINO tibi sit VITA, SALUS, SOBOLES.

hon. et festinanter adposuit  
 GEORGIUS MANCELIUS SS. Th. Licent.  
 Profess. Pastor, Praepositus, et Pro-  
 to-Synedrii Adessor.

22. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Nicolaus Specht (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Cvr coecum Veneris puerum finxere Poëtae,*



*Curve manu ardentem tela facesque gerit?  
 Haec ego dum tecum meditor; respondet Apollo,  
 Non hominum arbitrio conciliatur amor.*  
 5 *Figmento hoc olim voluerunt promere vates,  
 Aethereis quod sit sedibus ortus amor.  
 Sed nos scrutamur qui sacri oracula Verbi,  
 Et summum in coelis credimus esse DEVM:  
 Credimus esse DEVM, totum qui providus orbem  
 10 Et regit, et peragit quae modo cunque cupit.  
 Ille dat Vxorem huic pietate et moribus auctam  
 Humanis, proprium quae scit amare virum.  
 Idcirco posthac quid non, SPONSE optime, speres,  
 Cum detur talis jam quoque Nupta tibi?  
 15 Non haec, crede mihi, Dio sine Numine fiunt.  
 A DOMINO venit, quae venit ELSA tibi.  
 ELSA puellaris veluti quae stella Phalangis,  
 Illustrat radiis tecta paterna suis.  
 De tali gaude vitae sociaque laborum,  
 20 Ingenio qua non aptior ulla tuo.  
 Aemula jam primis castae pietatis ab annis  
 Quae fuit ac uni dedita mente DEO.  
 Virgineae custos laudis, cultrixque pudoris,  
 Fastum devitans luxuriamque levem.  
 25 O vere optatum, munus coelesteque, CONIVNX,  
 Rite tibi associat quam modo sacra Trias.  
 Hanc cupidis unam manibus complectere Sponsam,  
 Coelitus ac missi muneris instar habe.  
 Foederis o Author confirmatorque jugalis,  
 30 Quo sine non perstat conjugialis amor,  
 Herculeo vestrum nodo constringat amorem,  
 Constantique liget pectora juncta fide.  
 Non lac, non piscis, non farris copia desit,  
 Si quid et his vobis carius esse potest:  
 35 Pulchra domum decoret proles; mensamque coronet,  
 Matris subsidium dulce, decusque Patris!  
 Non dubites: Stant firma Dei promissa, petitum  
 Consequiturque Fides, si modo vera Fides.*

scriptum

Testandae singularis benevolentiae causa a

M. NICOLAO **Specht** /

Illust. ac Generosiss. Comitum Juniorum

**zur Thurn** etc. pro t. morum et studiorum

Praefecto.

23. Adr. Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Nicolaus Nycopensis (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Casti author thalami omnipotens Deus unus et idem

Praecipit atque jubet foedus inire sacrum.

Nam primos primus conjunxit amore parentes

Una essent illi ut corpora bina anima,

- 5 Ergo quis dulcem, quis svavem culpet *Amorem?*  
 Delicium est hominum, consociatque pares.  
 Clare Vir et nostrae pulcherrima gloria Musae,  
 Gloria linguarum, gloria et Eusebiae:  
 Jungitur en hodie Sancto tibi foedere Sponsa  
 10 ELSABE, Virginei gloria prima gregis.  
 ELSABE, quam pietas et virtus plurima tollit,  
 Numinis aetherei cognitioque beat.  
 ELSABE, quae casto et sociali flagrat amore,  
 Teque suum socium poscit habere virum.  
 15 Vivite felices multos in Nestoris annos,  
 Et foveat castus corcula bina Favor.  
 Alme Deus, benedic Neonymphis; gaudia crescant.  
 Legitimi et surgant pignora grata tori.  
 Alter in alterius sine fine feratur amores,  
 Officiis certent in pietate pares.  
 Honoris et observantiae ergo l. mque adposuit  
 M. Nicolaus Nycop.

24. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Petrus Andrea (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

- Balthica REVALIAE spectant ubi littora muros,  
 Ambit et ESTHONIAM moderatis flexibus aequor;  
 Campus erat viridis, quem cinxere undique Sylvae;  
 Aurea ibi medio diffusis frondibus *arbor*  
 5 Stabat; erant aurum rami, folia aurea ramis.  
 Aureus et cortex, et sola argentea radix.  
 Hancque *novem* circum *Cantrices* artibus aptae  
 Plaudebant, Citharae tangentes plectra, Lyraeque,  
 Omnes velatae perfusis vestibus auro,  
 10 Ruta virens crines cingebat, et innuba laurus.  
 Ibant et manibus *Divae* per mutua junctis;  
*Hymen, o Hymenae, Hymen, Hymenae canebant.*  
 Mox ubi se viridi juxta *Chorus* omnis in herba  
 Composuit; siluitque nemus, siluere volucres.  
 15 Una harum reliquas ultro comitata *Sorores*  
 Obvia *Calliope* sese mihi laeta ferebat;  
 Ad me progrediens placidis ita vocibus usa est:  
 Pone leves calamos, sat avenae, sibila montes  
 Et colles novere sacri, sat rustica lusit  
 20 Fistula pastorum curas; Nunc foedera dices  
 Connubii, cujus sacra jura intendimus omnes.  
 Haec meditans; quaesivi, quid vestigia vellent,  
 Campus quid viridis, quid et *arbor* consita ramis,  
 Quam circum steterat cantus *grex docta* sonori.  
 25 Dixit *Calliope*: **Nyhausens hortulus ille est;**  
*Arbor* ibi ramis sublimis; uterque *parens est*  
*Vitis*; Sponsa est ELSABET, quae est *vitis* adinstar,

Cui SALOMON Sponsus (velut *Vlmus* adinsita viti)  
 Haeret; queis crescat proles quasi *Palmes oliva*.  
 30 Et sic per votum his canit omen fistula nostra.  
 Arboris et nostri cantus hae symbola sunt;  
 Nunc quod nos signis tu rebus lude sacratis,  
 Dixit; connubii *authori* pia vota dicando.  
 Haec fata; en, solum me in vallibus ipsa reliquit.

*APOSTROPHE.*

35 Nunc, venerande Deus, qui pura es mente colendus,  
 Longaeva Sponsum SALOMONEM protege dextra,  
 Quem *Dorptam* misit probitas, industria solers  
*Ebraeae* et *Grajae* lingvae praefecit amice.  
 Dein Sponsam ELSABET, maneat fac longius aevum,  
 40 Quae trahit a proavis genus altae stirpis honestum.  
 Vivat uterque diu incolumis: quod dextera Fata  
 Prosperitent; fausto et conservent sydere taedas.  
 Absit nunc questus querulus, quoque moesta querela,  
 Adsit laeta dies, Thalamus nec pignoris expers.  
 45 Hoc sacra *Calliope* jussit componere votum,  
 Et Thalamo casto pia pectore fundere verba.  
 Haec fero, Sponse, aequi transmissos consule versus.

*ANAC. Ryth.*

SPONSVS		SPONSA	
	<i>ELSABE Sponsa chara,</i>		<i>SALMON meum caput, cor,</i>
	<i>Pudica, fida, clara,</i>		<i>Dux, spes, mihi via, ardor,</i>
50	<i>Venito Lux venusta,</i>	60	<i>En jungo cor fidele,</i>
	<i>Venito fax modesta,</i>		<i>En trado cor jugale,</i>
	<i>Celer veni decora,</i>		<i>Malum doloris absit,</i>
	<i>Celer veni sonora,</i>		<i>Bonum ast amoris adsit.</i>
	<i>Dato manum fidelem,</i>		<i>Pater poli tegat te,</i>
55	<i>Dato manum jugalem.</i>	65	<i>Pater soli regat me,</i>
	<i>Non separet gravis sors,</i>		<i>Ad astra celsa quando</i>
	<i>Non atra nos, nisi, mors.</i>		<i>Dat ire fulgida ambo.</i>

ETEOSTICHON

*Annum, Mensem, Diem, et Nomina conjugium contrahentium, continens.*

IVnIVs Is ter VbI qVatVor sVper IngerIt orbes,  
 ELSABE et SALOMON foeDera rIte trahant.<sup>70</sup>

Honoris ergo p.  
 M. PETRVS ANDREAE,  
 Arbogensis.

<sup>70</sup> Eteostichon annum 1637 exhibens

25. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Petrus Turdinus (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Ad Dn. Sponsum.

*Clare vir o SALOMON, tu gloria summa Camenae,  
 Quique Professoris munia dia geris;  
 En, velut in culto genialis amaracus horto  
 Surgit, et ambrosio tangit odore rosas;  
 5 Sic tenerae vernat jucundo flore juventae  
 Sponsa tibi, vincens lilia grata, rosas.  
 Lucidus huic collo gemmae Garamantidos ignis  
 Irradiat, vestis tingit utrinque pedes  
 Aurea, flaventes tegit aurea vitta capillos,  
 10 Aurea dependet pectore bulla suo:  
 Sed pudor, et probitas, candor, sunt haec, et honestas;  
 Sic Casti a Superis munus amoris habes.  
 Munus habes, Regum gemmas, quod vincit et aurum,  
 Et quicquid rubri volvit arena maris.  
 15 Intret Hymen posthac thalamos, praeclare Professor,  
 Cum sponsa casta fer monumenta domus.*

*Ad Sponsam*

**Seid fröhlich Blümlein ELSABE/  
 I hr seid theilhafftig GOTts Gabel/  
 Zuvor seid jhr oft im Garthen  
 20 Gewesen/ vnd wolten warten  
 Phoebum mit sein' Güldne Strahlen  
 Der sich verbirgt abermahlen.  
 Darin kein Vöglein lest sich hörn  
 Es war denn Trawrigkeit zu spührn.  
 25 Heut aber auffgeht ein Sonne  
 Ewer Frewd ist sie vnd Wonne.  
 Nemblich der Ewr Trost vber all  
 Soll sein/ in diesem Jammerthal  
 Magister SALMON MATTHIAE  
 30 Professor Academiae,  
 Der nur mit seinen Frewden glantz  
 Euch Blümelein erfrischt gantz/  
 Solches kein Vöglein mit Singen  
 I n Garthen euch könte bringen.  
 35 Keins andern Blumen fasst danebn/  
 Mechtig war euch solch Krafft zu gebn.  
 Darumb an statt der Trawrigkeit  
 Nur nicht zu spührn als Fröligkeit.  
 Geb' denn den andren Blümelein/  
 40 Gut Nacht/ ich meine Jungfrawn sein:  
 Auss dem Garten zum Ehestand/**

Kommet mit Frewdn zu Ewren Mann  
 GOTT geb' zu solchem standt sein Segn/  
 Dass jhr in Lieb und trew mögt lebn.

45 Vnd dass dieses hohes Stämlein/  
 Tragen möchte viel solch Blümlein:  
 Darnach Mathusalemisch Zeit/  
 Vnd zum letzten die Sehligkeit.

M. PETRUS TURDINVS  
 Scholae Regiae Conrector

26. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Andreas Thomae (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

<...><sup>71</sup> quam tu felix, et ab omni parte beatus,  
 Es lingvae Doctor candide, clare, sacrae!  
 <...>ium<sup>72</sup> tibi pronubus ipse JEHOVA  
 <...>;<sup>73</sup> aeterni pignus amoris erit,  
 5 <...>ris<sup>74</sup> erit, nec munere formae  
 <...><sup>75</sup>: O pietatis honos!  
 <.....><sup>76</sup> splendet tincta rubore,  
 <...><sup>77</sup> sedula prolis erit.  
 Nec minus illa tamen felix, te digna Marito,  
 10 Quem Musae et Charites, et probat Eusebia.  
 Et datur illa tibi fati, quia conjuge dignus  
 Tu tali; conjux te quia digna fuit.  
 Ergo tibi quia eam, quia ei te fata dederunt,  
 Scandite communis fulcra pudica thori.  
 15 Vivite concordēs, felices vivite, laeti  
 Vivite. Sit, facies, tu Pater alme, ratum.

Honoris et observantiae ergo apposuit  
 M. ANDREAS THOMAE  
 Caustadius.

27. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Isacus N. Secrenius (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

CL. M. Salom. P. P.

*Olim venustas Grajae Helenae, decus  
 Magnum, fides et Penelope thori,  
 Constans amor Thisbe; Hisce praestat  
 Sed venerans Dominum, Deumque.*  
 5 *Hic Pluto, vel formae nitor, omnia  
 Mundana, dum fallunt, remanet fides,*

<sup>71</sup> Textus corruptus SA

<sup>72</sup> Textus corruptus SA

<sup>73</sup> Textus corruptus SA

<sup>74</sup> Textus corruptus SA

<sup>75</sup> Textus corruptus SA

<sup>76</sup> Textus corruptus SA

<sup>77</sup> Textus corruptus SA

*Mores probati, ceu corolla,  
 Tempora virginis alma, cingit.  
 Talis Venus nostra optima virginum  
 10 Elsabe, cunctis grata, pia, et proba,  
 Haecne est Camoenis apta claris  
 Macte tuis Salomon M<atthiae>.*

VOTUM.

*Tu Deus nostrae columen Salutis,  
 Hunc thorum, prolis cumula brabeo  
 15 Copia et rerum. Fluat et perennet  
 Nobile Nectar.  
 Sospites semper, Pyleos in annos  
 Conjuges vitam lepidi, probique  
 Et Deo grati, peragant secundam  
 20 Hi Neonymphi.*

Moris, honoris, et observantiae ergo  
 apposuit  
 M. JSACVS N. SECRENVIS, Holm.

28. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Jacobus Balccius (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Clare vir, et Sophiae Doctor, veneranda voluptas  
 Musarum, castae jam Venerisque decus.  
 Quid sit amabilius? Laeto sedet ipsa parato  
 Flammeolo, pia te Sponsula digna Viro.  
 5 Producunt Charites Sponsam ad te, divite claram  
 Virtute, atque animi dotibus egregiam.  
 Confluit ad taedas pulcerrima turba paratas,  
 Firma sacro et Pastor foedere jura facit.  
 Sitis felices, felicia vivite secla,<sup>78</sup>  
 10 A summo auspiciu Pacis habete Deo.  
 <...> amor laetam faciat sobolescere prolem:  
 <S>it datus officiis officiosus Amor.*

Quod v. animitus  
 JACOBUS BALCCIVS Gryphiswal.  
 Pomer. SS. Th. Stud.

29. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Ericus Matthiae (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Moribus nitens virago,  
 Prosperum munus Dei,  
 Iungitur pie beato  
 Arduis factis Viro.  
 5 Nil refert solum manere,*

<sup>78</sup> *secla* pro *saecula* SA metri causa

*Nil domi, nihil foris:*  
*Gestiens ludit Tobias*  
*Cum Sara venustula*  
*Cessit aetas occupata*  
 10 *Ludicris puertia;*  
*Cessit aetas, dulce nomen*  
*Cui dedit crescens vigor:*  
*Venit aetas apta curis,*  
*Aptior laboribus,*  
 15 *Mox comes quaerenda promptis*  
*Adfutura nutibus.*  
*Ergo te quater beatum,*  
*Clare SPONSE, praedico:*  
*Vita cui transacta cunctis*  
 20 *Eruditis perplacet:*  
*Fronde cui virtus perenni*  
*Ornat eminens caput:*  
*Quem jubet nunc assidere*  
*Inclytis fama viris:*  
 25 *Nuptialis fax Maritum*  
*Quem Maritis admovet.*  
*Hincque te quater beatam*  
*SPONSA honora, praedico,*  
*Quod recreverit venustus*  
 30 *Vultus et gratus decor,*  
*Cultus et metus Tonantis,*  
*Et modo flagrans suo*  
*Ardor, et Spes, et Sororum*  
*Quicquid est coelestium.*  
 35 *Multa te virtus Maritam*  
*Sistet, et Matrem Venus.*  
*Ergo vos quater beatos*  
*Conjuges depraedico:*  
*Nam datur, praeclare SPONSE,*  
 40 *Digna Virgo te Viro,*  
*Ac ubi vis sit jocosa*  
*Praesto erit viae comes:*  
*Obtines et, SPONSA, dignum*  
*Hunc virum te Virgine.*  
 45 *Admovenda costa costis*  
*Corculumque corculo:*  
*Orbis ut non fiat orbis*  
*Cautum erat divinitus.*  
*Pulcer hinc SPONSIS quotannis*  
 50 *Ludat in domo puer:*  
*Mensa stet florens olivis,*  
*Vitibus nitens torus.*

ERICUS MATTHIAE Roslagi&lt;a&gt;

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM*Sponsus ad Sponsam.*

Vota movent Superos (expertis crede <...><sup>79</sup>)  
 Vota Deos, inquam, sint modo <...><sup>80</sup>.  
 Namque ego cum solus nullo comitante vagarer.  
 Moestus eram, quatiens corda dolore gravi.  
 5 Sancta tamen Pietas animum sperare jubebat,  
 Supplicibus mitem tordibus esse Deum.  
 Ecce dolens imo suspiria corde trahebam,  
 Effundens humili talia verba sono:  
 O Deus omnipotens, tu princeps author AMORIS,  
 10 Qui torques castas in pia corda faces;  
 Junge mihi sociam, quae munera tractet honore,  
 Ne qua meae jaceat publica cura domus.  
 Optimus en *Pater* has (urgebat grande necessum)  
 Audiit intenta supplicis aure preces;  
 15 Te, ELSABE casta, mihi in sociam conjunxit *Amore*,  
 Vt sis pars animae delitiosa meae.  
 Casta veni, pudibunda veni, dilecta Marita,  
 Me et Te perge probis exhilarare jocis.  
 Fida veni, Studiosa veni, dilecta Marita,  
 20 Pignora sic nostri fer generosa thori.  
 Donec coelestis redeant habitacula vitae,  
 In queis nos maneant gaudia vera poli.

AMBROSIVS e PALMA  
LL. Stud.

31. Adr. Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Georgius Goetschius (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Pauca tibi mea Musa canit, Clarissime Sponse,*  
*Accipe, pauca tibi quae mea Musa canit.*  
*Enumerent alii laudes, Sponsaevae tuasve,*  
*Talia me sancte promere vota juvat:*  
 5 <...>ptus<sup>81</sup>, et felix celebres Hymenëia fauste  
 Gaudia, munifici fretus amore DEi.  
 <...>stitia<sup>82</sup>, atque adsit moderata voluptas:  
 <con>sortem<sup>83</sup> thalami connubialis ames.  
 Non Eris inficiat socialis foedera lecti:  
 10 Innocuo praesit pax veneranda toro.  
 Christi Praecipue cum Sponsis gloria curae est  
 Tunc soboles crescit plurima, crescit honos.

Ex AMORE  
MORE<sup>79</sup> Textus corruptus SA<sup>80</sup> Textus corruptus SA<sup>81</sup> Textus corruptus SA<sup>82</sup> Textus corruptus SA<sup>83</sup> Textus corruptus SA



ORE  
RE posuit  
GEORGIVS GOETSCHIVS  
Sedino-Pomeran.

32. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Christop<...> (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Mira DEI bonitas ex hoc apparet in illos,  
Ipse suo quondam quos Sangvine sponte Sacravit,  
Per vanos casus illos dum ducit; et illis  
Vitam concedit certa mox sede quietam.  
5 Hocce tuum probat Exemplum, praeclare MAGISTER,  
Fontes qui pandis dulces, lymphasque salubres,  
Lingvam dum nobis Divinam dicis abunde.  
En Deus omniscius TE eduxit Teutonis oris:  
Cur? Voluit Fatum TE Arctoa vivere terra.  
10 Noluit at Summus, solum TE degere vitam,  
Vel vacuo enatum lecto consumere tempus.  
Ceu quondam Tobiae sociatur Sara pudica;  
Sic quoque nunc Sociam DEUS hic TIBI jungit amatam.  
Gratulor ergo TIBI SPONSO, SPONSAEque pudicae,  
15 Atque precor coeptis consentiat ipse JEHOVAH,  
Vivite concordēs, Parili vivatis amore,  
Vagiat elapso mox anno et filius opto!

Debitae obser<vantiae ...>  
<.....>  
<.....>  
CHRISTO<.....><sup>84</sup>

33. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Bothvidus Ionae Hellenius (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

En abeunt nubes, pluviae, tristesque procellae,  
Et molles venti praelia soeva fugant.  
En abeunt nunc rure nives; celans et opacae  
Angustos noctis non facit umbra dies.  
5 Ast redeunt frondes sylvis; et gramina campis  
Rident: In pratis luxuriatque pecus.  
Ast redeunt volucres, ignotaque prodit hirundo,  
Quae luteum celsa sub trabe figit opus:  
Scilicet haecce dies comportat foedera lecti,  
10 Quae vocitant socii vincla jugata thori.  
Namque *Professor* adest SALOMON, qui ducit in agros  
*Aonios* docilem, per sacra jura, gregem.  
Cum ELSABE optatos thalami celebrabit honores  
Confirmans fidei mutua pacta datae.  
15 Hinc *Pandura*, *Chelis*, *Tuba*, *Tympana*, *Buccina*, *Sistrum*,  
*Tibia*, dein *Lituus*, *Cymbala*, *Eburque Lyrae*,  
Vos resonate; Et vos Citharoedi, pulcher *Jöpe*

<sup>84</sup> Textus corruptus SA

*Amphion, Thamyra et Demodoce Aeolides,*  
 Compositis digitis, impulsas tangite chordas,  
 20        Ut varium flectant *organa* clara sonum;  
 Plaudentes, Deus ut conservet Numine taedas,  
           Ne irrumpant casto jurgia soeva thoro.  
 Haec celeri calamo fundo ac socialia pacta,  
           Sumite laetitiae pocula plena manu.

Debitae observantiae ergo fudit  
 BOTHVIDUS IONAE HELLENIUS,  
 Sudermannia Svecus.

34. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Hermannus Reder (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Vir Pietate gravis, Lingvis Clarissime et Arte,  
           Praesidium vitae dulce decusque meae;  
*Sit faustum et felix; tibi ducitur, Auspice Christo,*  
           *Vxor, abhinc vitae certa columna tuae.*  
 5        *ELSBE, venusta venit praeclaris dotibus aucta,*  
           *Delicium generis, patrii et orbis honor.*  
*Cognitio hanc ornat coelestis Numinis; ornat*  
           *Cognitio Recti, cognitioque Boni.*  
*Officium Sanctae persvave Viraginis implet,*  
 10        *Quae sunt cuncta domi perficienda facit.*  
*Sanctum ut nomen habet, proprias vult construere aedes,*  
           *Optata faciles quae novitate micent.*  
*Sit nova structa domus, Christo Duce et Auspice Christo;*  
           *Sit novus exstructus per pia fata thorus.*  
 15        *Sintque novi enati per fata beata Parentes;*  
           *Sintque exstructa novi pignora grata thori.*  
*Hoc precor, hoc opto; sint hinc nova commoda tota:*  
           *Vosque novi Nupti pace valete pia.*

Sic honoris et observantiae ergo p.  
 HERMANNUS REDER, Dorp. Liv.

35. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Johannes Guntherus Gerlach (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Quae venit ingenuis animis et dotibus aucta  
           ELSABE, coelesti tradita sorte venit.  
*Clare vir, o longos tecum feliciter annos*  
           Exigat, et placido crescat amore domus.

Quod unice gratulatur  
 JOHANNES GVNTHERUS **Gerlach**  
 Riga Liv.

36. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Johannes Bruggemannus (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Hoc est quod dixi: Haut solam vis ducere vitam,*  
*CLARE, viros inter, SALOMON, tu gloria summa;*  
*Hoc est, quod dixi: haud pressus vis mole laborum*

- Solus tam misera et gravitatis vivere cura.*  
 5 *Ast aliter Domino visum, qui foederis author*  
*Connubii est: jecur is flammatum reddit AMORE.*  
*Ast aliter Domino visum, qui ducit in aedes*  
*Consociam castam, ELSABETH quae nomen adepta est.*  
*Haec tibi pulchra datur, tibi candida ducitur Vxor,*  
 10 *Haec casto, haec viridi, tibi splendet tincta rubore,*  
*Haec pietatis amans, lepidae huic est gratia lingvae;*  
*Redditur haecce tibi fatis, quia Conjuge dignus*  
*Tu tali; fuit et Conjux Te digna Marito.*  
*Nunc precor ut Dominus Divino Numine taedas*  
 15 *Collustret, fausto conservans sidere coeptas:*  
*Haec tibi, Sponse, fero cum Sponsa: suscipe vota.*

Honoris ergo haec paucula adjecit  
 JOHANNES BRVGGEMANNVS  
 Curl. Cand.

37. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Johannes Claudii Risingh (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

M. SALOMON MATTHIAE, Orientalium Lingvarum  
 Professor ordinarius, et Graecae extraordinarius:  
*Per Anagramma, redundante T et R in E mutato.*  
*aemula virtus, nitor! aeternae: in illam haud minimos*  
*ardores oggeris; REX forsā omnino pura.<sup>85</sup>*

- Macte vir, eximium nostri decus euge Lycei,  
 Summis ingenii dotibus aucte rati.  
 Aoniis fueras culte nutritus in antris,  
 Lustralis factus potor et altor aquae,  
 5 *Oggeris ingenuas, fervente colentibus, Artes*  
*Mente sacris, Lingvae proficuos latices*  
*Omnino haud minimos, ardores forsā habebas*  
*Nectare perfundens pectora fulta pio.*  
 Mox age dulcisonos igitur Cytharoede lepores  
 10 *Ac placidum pariter funde, Hymenaeae, melos.*  
 Tuque diem Rex CHRISTE Deus, formator et altor  
 Tempora nubendi, quae velis esse sacra;  
 Hic tandem tenuis, facto pro munere Musa  
 Iam vovet et thalami sit tibi laeta dies!  
 15 *Aeternae laudis virtus nitor aemula in illam,*  
*Pura tibi mens sit, cum pare semper ave.*

Praeceptoris suo ac fautori optatiss. debiti  
 servitii ergo accinit  
 JOHANN CLAVDII Risingh Ost-Gothus.

38. Adr: Salomon Matthiae et Elsa Neuhausen – Aut: Ericus Petri Lerbecchius (cf. 19)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Lucidus cancer calidis ab undis*

<sup>85</sup> Anagramma non recte constructum

*Nunc redit, cessat Capricornus atrox,  
 Transfugat noctes, removens et umbras  
 Lumine Titan.*  
 5 *Ecce praeclarus SALOMON Magister  
 Teutonum splendor, numero in virorum  
 Commeat: magno et juvenum cohorte ad  
 Limina templi.*  
*Sponsa mox gemmis sequitur coruscans,  
 10 Emicans auro, sociata Nymphis;  
 Vt Venus lucida inter astra  
 ELSABE fulget.*  
*Isaci gentis Dominus Deusque  
 Annuat coeptis, hilares quot herbas  
 15 Majus adfert, tot tribuat benignus  
 Munera Christus.*  
*Augeat prolem numero carentem,  
 Proroget longa serie nepotes:  
 Laeta ceu campis riguis per imbrem  
 20 Gramina surgunt.*  
*Semper ut Cedrus redolens virescit,  
 Sic amor cuncto vigeat sub aevo:  
 Summa vos tandem capiant beatos  
 Gaudia Olympi.*

Gratitudinis testandae gratia scripsit  
 ERICUS PETRI LERBECCHIUS.

39. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica de ministerio ecclesiastico; quam, /.../ in Regia Livonum /.../ Academia, sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ publicae ventilationi submitit /.../ Nicolaus Olai Calmariensis. /.../ d. <22.> Julii, anni 1637. – Dorpati Livonorum, <1637>: Lit. acad.) SKB, H, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Claritate, Doctrina et Humanitate conspicuo  
 Dn. RESPONENTI.  
 M. NICOLAVS OLAI  
 CALMARIENSIS;*

*Per Anagram:  
 INCOLA RIMANS SIM COELI AVLAS.*

*Incola sim rimans Coeli aulas, Praeside Christo,  
 Clare, triumphali voce, Magister, ais.  
 Incola sis coeli; studiis rimaris Olympi  
 Aulas: Coelesti pace beatus eas.*

Quod gr. ap.  
 LAURENTIUS LUDENIUS Ph. et  
 J.U.D. Prof. et pro t. Acad. R.

40. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Andreae (cf. 39)

SKB, H, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Suscipe, CALMARI, munus sublime, quod horret  
 In gyrum angustae cognitionis agi:  
 Suscipe DIVINI defendere dia MINISTRI*



10 Sanctae splendor ubi Fidei Pietate coruscat,  
     Ubi supremi amore flagrat Numinis  
         Mens mente Christo dedita:  
 Vivit ubi superam mortali corpore vitam;  
     Ubi beati Coelites vivunt, ubi  
 15             Intaminata Veritas.  
 Ardua conservant ubi candida foedera vota;  
     Sanctae integer vitae tenor; Dignissima  
         O Christiana limina!  
 Ah Domus, Hospitibus dignissima Civibus aula,  
 20             Quam Civis incolit, beatus unice  
         Amici amator Proximi!  
 Non illo melior quisquam nec amantior aequi;  
     Vitae integer; factis tenax, dictis tenax  
         Justi; tenaxque foederis:  
 25 In commune Bonus, grati Servator Honesti,  
     Felicioris unicus Concordiae  
         Cultor; fugiens Discordiae:  
 Prodiga Pauperibus promptissima dextera, cunctis  
     Subserviens, suum cuique dividens,  
 30             Laedensque vita neminem.  
 Quid poterit Verbis dici felicius unquam,  
     Haec LENIS acta vita; Christo et Proximo  
         Concredita; acta LENIter.  
 Sanctam Animam Christi manibus commendat, et inquit;  
 35             I LENE; Christo et Proximo vixi; meae  
         Jam LENE REDDAR Patriae.  
 Nunc Anima aeterna Paradisi in luce beata  
     Radiat, piosque inter triumphat Coelites,  
         Ultra laborum nescia.  
 40 Quid poterit verbis dici felicius unquam?  
     Christo usque Vixi et Proximo; Coelesti ego  
         Jam LENE REDDOR <Pa>triae.  
 I mea Progenies; I Conjunx dextim<a>, SALVE,  
     Christo usque Vixi et Proximo; Coelesti ego  
 45             Jam LENE REDDOR Patriae.

DAVID Ertman SS. Theol. Studios.

43. Adr: Danielis Rheder – Aut: Christophorus Michael (cf. 42)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*Unde TIBI promam Solatia, Frater amande?  
     Nescio, Materiam jam mea Musa negat.  
 Occidit, heu! propera Genitor TIBI morte peremptus:  
     Tota mea hoc casu mens stupet aegra tuo.*  
 5 *O hominum infelix genus! o vos Fata, cruenta!  
     Quam subito turbat gaudia nostra dolor.  
 Vita quid est quaeso? nisi bulla caduca per undas,  
     Momento rursus quae perit orta brevi.  
 Ante dies paucos vivens cito lumina clausit  
 10             REDERVS, magna VIR pietate gravis.*

*Ast, HERMANNE, cui jam sunt praecordia circum  
Tristia, tu remove talia corde tuo.  
Nosti etenim Pater ipse tuus quod sede receptus  
Sic Divum; inde tenet splendida tecta Poli.*

15 *Adde, quod hic egit melioris tempora vitae  
Spes morientis erat Filius ipse DEI.  
Ergo Tu moestum cordis moderare dolorem,  
HERMANNE, arbitrio subjice TEque DEI.  
Hic tibi nunc Pater est; studia nunc coepta juvabit,*

20 *Hic TE fidentem deseruisse nequit.  
Sic tandem in coelis Patrem sine fine videbis,  
Regnat ubi semper Pax et amica Quies.  
Illa dies veniet mox, qua tuba clara sonabit  
CHRISTI; hinc nos petimus TU, pie CHRISTE, veni.*

Condolentiae ergo deproperabat  
CHRISTOPHORUS MICHAEL  
Frosanus Halb.

44. Adr: Danielis Rheder – Aut: Johannes Vallander (cf. 42)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*Vita quid est hominis? vah! nil nisi mortis imago,  
Ad senium properans praeparat illa Rogum.  
Vita quid est hominis? nihil est nisi sollicitudo:  
Curarum saltem suggerit illa faces.*

5 *Vita quid est hominum? nihil est nisi fabula vitae:  
Ad tumulum properans praeparat illa viam.  
Nil hominum vita est, nihil est nisi bulla tumescens,  
Quae perit et nihil est. Et velut umbra manet.  
Umbra manet, quae cum generata resolvitur. Ecce*

10 *Pulvis et umbra fuit. Pulvis et umbra manet.  
Haec mala, justa DEI nobis vindicta paravit,  
Nam poenae servos nos genuere patres.  
Hinc mala damna trahunt primordia, quae mala damnant  
Plasmata cuncta DEI, ni DEVS ipse juvet.*

15 *Ni juvet: ah miserum! num perpete morte fruemur?  
Ast nunc mors, pia sors, qua imus ad astra poli.  
Nos imus, sacra qui colimus, CHRISTVMque fatemur,  
Si quoque mors, tua sors, claustra poli reserat.  
Quo sic grata DEO sis victima, sorte relectus,*

20 *Seu potius CHRISTI morte redemptus ades.  
Hinc mens astra petat, siquidem sua castra reliquit;  
Terrarum moles membra sepulta tegat.*

Ad contestandum dolorem, animo moestissimo deproperabat  
JOHANNES VALLANDER.

45. Adr: Danielis Rheder – Aut: Johannes Guntherus Gerlach (cf. 42)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*FILIVS Dn. DEFVNCTVM alloquitur.*

Ah mea, quam misero se torquent lumina flexu!

Quam gravis ah luctus pectora moesta premit!  
 Quocunq; aspicio, nil est nisi mortis imago,  
 Semper adest oculis Nox tenebrosa meis.  
 5 Ah, Moderator eras vitae, Pater optime, fidus!  
 Ah, Natum linquens sic vada tuta petis!  
 Nunc eheu non fluctu uno, flatuque nec uno  
 Mens mea in ancipiti gurgite fracta natat.  
 O Lachesin duram, mihi jam quae, stamine rupto,  
 10 Tam charum haud verita est eripuisse Caput!  
 Hactenus hoc studijs coeptis succurrit abunde:  
 Sed dolor, o Lacrymae! spes ea fracta jacet.  
 Spes ea fracta jacet, sed nondum tota jacebit;  
 Aurea nunc demum SPES mihi CHRISTUS erit;  
 15 Hic me cum PATRE mox, coelesti junget in aula  
 Rursus, quae carum jam tenet Aula Patrem.  
 Ast qu<ando> illud erit tandem? quo tempore? cum Tu  
 Cum Angelico venies Agmine, CHRISTE, tuo.  
 Interea Salve atque Vale, Pater: o mihi moesto  
 20 Rapte PATER, Salve perpetuumque Vale.

Condolentiae testandae gratia haec  
 apponere voluit

JOHANNES GUNTHERUS **GERLACH**  
 Riga Livonus.

46. Adr: Hermann Rheder – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio, tam Romanarum, quam Svecicarum Gothicarumque SS. legum historiam continens; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 26. Julij, anno 1637. /.../ publice enarrabat Hermannus Rederus, /.../ - Dorpati, 1637: Typ. acad.)

UUB, SKB, Växjö LB, LNB, BRAN, Tartu UB  
 GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo*  
 DN. PERORANTI.  
 HERMANNUS  
 REDERVS  
*Per Anag. h negl.*  
 RE DVRES NVMERANS.

Docte Novenarum Cultor Studiose Sororum  
 HERMANNE, Eunomiae delictumque Deae:  
*Sic bene dinumeras felicia jura Quiritum;*  
 RE DVRES NVMERANS jura beata fori!  
 5 *Sic bene dinumeras felicia jura Svecorum;*  
 RE DVRES NVMERANS jura beata fori!  
 RE DVRES NVMERANS! Majoribus ire per altum  
 Poscunt te auspiciis Numina, sancta Fides.

Quod animitus app.  
 LAVRENTIVS LVDENIVS Ph. et  
 J.V.D. Profes. et pro t. Vniv. Rector

47. Adr. Hermann Rheder – Aut: Johannes Vallander (cf. 46)

UUB, SKB, Växjö LB, LNB, BRAN, Tartu UB  
 GRATULATIO

Sanctitas Leges servat Romana propago,



Qvae vitae Sanctae vincula firma fivent:  
 Qvae monitis Sanctum fieri solennibus urgent,  
 Et mentes placidas stante vigore tenent.  
 5 Has Leges claris qvod rerum ambagibus edis,  
 Grator primitiis, Frater amande, tuis.  
 Svavibus illae etenim demulcent pectora verbis,  
 Et spirant variis integritate modis.  
 Felix, si studio nunqvam discedis ab illo:  
 10 Tempora provenient, qvando disertus eris.  
 Hinc semper Genio tali utere, dote suprema  
 Utere, qvae Coeli Numine dante venit.  
 Romana conjunge Aeqvum cum Lege Svecanum;  
 Sic tibi iudicium Dexteritatis erit.

Debiti Honoris et Synceri affectus ergo  
 suo Dn. Fratris et Amico ut certissi-  
 mo, ita longe svavissimo gratulatur  
 Johannes Vallander, Libo-  
 via-Curlandus

48. Adr. Hermann Rheder – Aut: Georgius Goetschenius (cf. 46)

UUB, SKB, Växjö LB, LNB, BRAN, Tartu UB  
 GRATULATIO

Sunt, quibus unum opus est graciles assumere mores,  
 Eniti ad Musas nec revocare gradum.  
 Tu quoque delictum Musarum Nobile, REDER,  
 Exornas mores artibus ingenuis.  
 5 Sic age; Nam quondam calamo trivisse labellum  
 Dulce erit, et Patriae Laus eris atque Decus.  
 Hoc precor. Hoc capias nostri ceu pignus amoris:  
 Sum Tuus, et semper sis Meus. Vsque Vale.

T.  
 GEORGIVS GOETSCHIVS  
 Stetin. Pomer.

49. Adr: Hermann Rheder – Aut: Martinus Masius (cf. 46)

UUB, SKB, Växjö LB, LNB, BRAN, Tartu UB  
 GRATULATIO

Nunc, HERMANNE, tibi laudemque decusque mereris,  
 Et facis officii munia recta tui:  
 Dum tam sanctitas depingis rite Quiritum  
 Leges, quam Gothica et Svecica jura refers.  
 5 Gratulor, atque tibi Deus Omnipotens precor adsit:  
 Sic dextre in studiis pergere, dulce decus.

Non tam honoris, quam amoris  
 ergo apponebat  
 MARTINVS MASIVS  
 Razeb. Saxo.

50. Adr: Johannes Claudii Risingh – Aut: Ericus Litorius (Oratio de civitate Dorpatensi: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 12. Jan. anno 1637. publice /.../ habebatur a Johanne Claudii Rising, /.../ - Dorpati, 1637: Typ. acad.)<sup>86</sup> UUB, SKB, LNB, BRAN, Tartu UB  
GRATULATIO

*Eruditione et morum honestate Politissimo,*  
*Dn. JOHANNI CLAUDII RISING OstroGotho, doctam et disertam*  
*Orationem de Civitate Dorpatensi publici juris facienti, amico et*  
*contubernali suo exoptatissimo.*

Salae beantis largiter accolas  
Embecca puris aemulus est aquis;  
Vterque cursores sagaces  
Mellifluo satiat liquore.

5 Hos inter omnes dulce RISINGIUS  
Nectar bibit jam cognitor artium;  
Amator oris svavioris  
Barbariae sed inertis osor.

10 Vin' quo probetur? Testis adest modo  
Urbs luculentis picta coloribus  
Orationis *Derpta*; claris  
*Derpta* suis adamata Nymphis.

15 Sic, Mi RISINGI, sic decet! Insuper  
Perge, ut facis: Sic tempora laurea  
Insignientur: Sicque canos  
Delitiosa rigabit unda.

ERICUS LITORIUS R. Upl. S.

51. Adr: Johannes Claudii Risingh – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de Milite christiano: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 5. Julij, anno 1637. publice /.../ habebat Johannes Claudii Risingh /.../ - Dorpati Livonorum, <1637>: Lit. acad.)

UUB, SKB, Lund UB, Växjö LB, H, LNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo*  
*Dn. PERORANTI.*  
JOHANNES CLAUDII RISING:  
*Per Anag.*  
*SANE HINC DIVINIS GLORIA.*

Qvod facis; *Hinc* pugnans Christjani Militis urge:  
Usque Arma, Arma voca, Christjani Militis Arma.  
*Hinc* certaminibus *Divinis* incluta sane

<sup>86</sup> Facsimile et translatio in linguam esth. Marju Lepajõe ed. *Johannes Claudii Rising Kõne Tartu linnast*. Tartu: Tartu Ülikooli Kirjastus 1996, 36-38. Facsimile in: Anne Lill 'Latin at the University of Tartu (Dorpatum) in the Seventeenth Century'. In: *Mare Balticum – Mare nostrum. Latin in the Countries of the Baltic Sea (1500-1800)*. Ed. by Outi Merisalo and Raija Sarasti-Wilenius. Suomalaisen Tiedeakatemia Toimituksia. Annales Academiae Scientiarum Fennicae. Ser. B, Tom. 274. Helsinki 1994, p.100.

*Gloria consurgit, Milesque triumphat in actis.*

Quod app.  
LAURENTIUS LUDENIUS Ph. et  
J.U.D. Prof. et pro t. Acad. R.

52. Adr: Johannes Claudii Risingh – Aut: Petrus Andreae (cf. 51)

UUB, SKB, Lund UB, Växjö LB, H, LNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Milite de Christi dum fundis verba, JOHANNES,  
Intras ut vates svavior eloquio;  
Milite de Christi dum tractas schema Poëtae,  
Intras, ut pingvis Delia Laurus erat.  
5 Rem gratam praestas, quod munia sacra Poëtis  
Excolis; hinc vatis nomina pulcra feres;  
Nomina pulcra feres, quae Lauro Phoebus adornet,  
Dum genio ipsa tuo turba Novena favet.  
Vtere Moeonio sublimis carminis orsu,  
10 Esto sacer Vates, Miles et esto sacer;  
Vt tibi militiae victricia praemia dentur,  
Quae sunt aeterni coelica dona DEI.  
Nunc Dominum rogit praesentia, prisca, futura  
Tempora qui cernit, quiq;ue creata regit;  
15 Hinc, ut te reducem Patriae ad Pomoeria terra  
Ducat, et inde bona conditione locet.

Honoris ergo deproperabat  
amica manus  
M. Petri Andreae Arbogia  
Wesmanni.

53. Adr: Johannes Claudii Risingh – Aut: Nicolaus Olai (cf. 51)

UUB, SKB, Lund UB, Växjö LB, H, LNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Qvam miserum est, Martis cum Milite ducere vitam,  
Qui putat armata cuncta licere manu!  
Est etenim socios illi jugulare voluptas;  
Perque vias dantur vulnera, perque domos.  
5 Non miserum est, CHRISTI cum MILITE ducere vitam,  
Qui Clypeos, galeas, scutaque sancta gerit.  
Pro Clypeis, galeis, scutis, capit arma Potentis,  
Fulgure quae rutilo dogmata Viva tonant.  
Hinc tibi nomen erit, JANNES; cum MILITE CHRISTI  
10 Et tandem accedes regna beata DEI.

Honoris, syncerique amoris contestandi  
ergo scribebam  
M. NICOLAUS OLAI  
Calmariensis.

54. Adr: Johannes Claudii Risingh – Aut: Emundus Johannis Lynaeus (cf. 51)

UUB, SKB, Lund UB, Växjö LB, H, LNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Militiam sequitur plebs propter soepe lucellum  
Captando sortem, qua licet arte, novam.  
Tu seqveris Christi vestigia et arma: lucrum ergo

Te manet aeternum, gloria vera manet.  
 5 Ille beatus erit, qui, Christo Praeside, pugnat;  
 Ad finem constans ille beatus erit.  
 Huc properate ergo cupitis qui noscere, quod nam  
 Sub Duce sit Christo Militis officium.

Honoris et amoris ergo integerrimo  
 suo amico, animo libentissimo  
 addidit  
 EMUNDUS JOH. Lyn.

55. Adr: Johannes Claudii Risingh – Aut: Martinus Nicolai Faxelius (cf. 51)

UUB, SKB, Lund UB, Växjö LB, H, LNB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Praeside qui Latios emittit Apolline versus,  
 Praeclarum ingenium comprobat arte sua.  
 Sic charta hac praesens offert mihi carmina docta,  
 Quae fudit **RI S I N G** dexteritate proba.*  
 5 *Nonne ergo in studiis decus immortale mereris;  
 Dum, JANNES, Christi Militis acta refers?  
 Plures si geniti doctos vis addere foetus  
 Ingenij: tu post fata superstes eris.  
 Gratulor inde tibi, susceptis gratulor ausis,  
 10 Grata opera est praesens, grata futura Bonis.  
 Omnipotens rerum Sator et suprema potestas,  
 Quae Vatum Sacro Flammine corda vovet,<sup>87</sup>  
 Hosce tuos dulces conatus usque secundet:  
 Adspirent coeptis prospera fata tuis.*

Ut honoris et amoris, ita amici affe-  
 ctus ergo apposuit  
 MARTINVS NICOLAI  
 Faxelius Nericiensis.

56. Adr: Ericus Thomae Rytanus – Aut: Petrus Andreae (Oratio de natura obedientiae dn. professoribus debitae: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 7. Augusti, anno 1637. /.../ publice habebatur ab Erico Thomae Rytano /.../ - Dorpati, 1637: Typ. acad.)

SKB, Växjö, H, LNB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Sequenti Carmine  
*Doctissimo atque Humanissimo Dn.  
 ERICO THOMAE  
 RYTTANO NYL.  
 Concinnam Orationem de Obedientia  
 Praeceptoribus praestanda docte per-  
 oranti,  
 Benevolentiam et amorem testari voluit.*

*Jvssa sequi officiis, homini non ultima virtus,  
 Nam parere decet, muneris imperio.  
 En veluti ingrato Leo laeserat ore magistrum,  
 Ausus cum notas contaminare manus;  
 5 Ast tandem dignas persolvit crimine poenas,*

<sup>87</sup> vovet in edd impressum : fovet calamo correctum U B

Et quae non tulerat verbera, tela tulit;  
 Discipulus sic ingratus *mandata* magistri  
 Qui nec praestat, nec patria *jussa* timet;  
 Pensabit poenas, et poenas morte piabit,  
 10 Ut maneat genium poena cruenta suum.  
 Est etenim solers *Praeceptor* sede *parentis*,  
 Cui sit filioli credita cura *patris*,  
 Hinc *mandata* time, haud *jussis parere* recusa,  
 Artes tu quisquis sedulitate colis;  
 15 Sic tibi summa boni venient fastigia veri;  
 Sic tibi nata *Sola*, sic bona fama *Polo*.  
 Nunc te, ERICE, voco, grator quod *jussa capessis*,  
*Obsequii* inquirens semina justa rati.  
 Esto morigerus, nunc *Praeceptoris* alumnus,  
 20 Corporis, et qui animi, dona paterna ferat.

M. Petrus Andreae Arbogia-  
 Westmannus.

57. Adr: Ericus Thomae Rytanus – Aut: Jonas Nicolai (cf. 56) SKB, Växjö, H, LNB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Si dignas possem laudes conscribere; coepto  
 Carmine, nunc vellem dicere laeta tibi.  
 Nam velut in castris Musarum degere oportet,  
 Hoc Clariae docta praecipis arte viae.  
 5 Gratulor ergo tuis, mi dilectissime ERICE,  
 Coeptis; Insistas, qua decet ire via.  
 Huc ades, o Iesu, pulcris bonus annue coeptis,  
 Sic labor, hinc studio praemia digna feret.*

gr. f.  
 IONAS NICOLAI.

58. Adr: Ericus Thomae Rytanus – Aut: Emundus Johannes Lynaeus (cf. 56) SKB, Växjö, H, LNB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Obsequium Claris Veteres praestare Magistris  
 Et venerari illos mandant; nec dogmata eorum  
 Spernimus. En sapiens clamat, Reverere Magistrum  
 Et documenta tui Patris, baculumque timoris  
 5 Perfer; namque salus venit et sapientia tandem,  
 Ergo dignus erit celebrari carmine ERICVS,  
 Obsequium hoc cujus perdocta Oratio monstrat.  
 Huc agite o Juvenes! bibite ex hoc Nectare sanctos  
 Mores, qui aeternum poterunt conferre favorem.  
 10 Tu simul in studio hoc pergas, Doctissime ERICE,  
 Sic honor atque favor te secula tota sequentur.

Moris, honoris et amoris ergo addidit  
 Emundus Joh. Lynaeus

59. Adr: Philipp Scheidingh – Aut: Laurentius Ludenius (Illustri et generoso domino, /.../ Philippo a  
 Scheidingh, domino in Schedewy et Arnöö etc. S. Regni Sveciae senatori /.../ per Esthoniā  
 gubernatori, judicij regij apud Dörpatenses praesidi, et Regia Academiae Gustaviana /.../ cancellario

/.../ de filiolo primogenito, 3. Augusti, anno 1637. /.../ nato, /.../ gratulatur Universitas Dorpatensis. –  
Dorpati; 1637: Typ. acad.)

UUB, [Tartu UB]

GENETHLIACUM

*Regni Consiliis Arctoi Celse Senator,*  
*Esthoniaeque Gubernator: Regalibus actis*  
*Inclyte, Phoebaeae Dux-Cancellarie Musae*  
*SCHEIDINGI, Gravis Arte, alto Celeberrime Marte;*  
5 *Regnator, Coelum et Terras qui Numine torquet,*  
*Ille Hominum Pater et Rerum veneranda Potestas;*  
*Te Patriae Patrem, Te pulcra Prole Parentem*  
*Constituit, Sobolem mensisque accumbere jussit.*  
*Quod felix faustumque siet! SCHEIDINGVLUS Infans,*  
10 *Blandula Progenies, tua nascitur alma Voluptas,*  
*Virtutis Patriae et Generosi Nominis Haeres.*  
*Blande Puer; Virtus Majorum exordia pandat*  
*Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*  
*Concedente Deo, pulcerrima stemmata longo*  
15 *Sangvine censentur: Picti stant ordine vultus*  
*Majorum; propiorque fluit de Sangvine juncto*  
*Juppiter, et Coelo felix affinis Origo.*  
*Blande Puer; Virtus Majorum exordia pandat*  
*Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*  
20 *Majores, veneranda quibus de Sangvine prisco*  
*Nobilitas, Sancti Cultores Numinis, Aequi*  
*Custodes; Fortes vixerunt; Fortia semper*  
*Pectoraque adversis cepere opponere rebus.*  
*Blande Puer; Patris Virtus exordia pandat*  
25 *Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*  
*Bellipotens Pater ipse tuus fortissimus Heros*  
*Ah! quoties magno visus contendere bello*  
*In Gente Arctoa dum tristi sorte coorta*  
*Seditio, soevitque animis violentior Hostis.*  
30 *Illustris Soboles Regum, Jovis inclyta Proles*  
*Rex Hominum, Rex Arctous GVSTAVVS ADOLPHVS,*  
*Delicium hoc Mundi! Rex dum Celsissimus omnem*  
*Fulminat ad Dünam bello; Germania bellum*  
*Dum movet, et toto soevit Mars impiger orbe;*  
35 *Ipse Pater circa Regem et Praetoria sancta*  
*Miscetur, certoque vocat certamine Martem,*  
*Et gaudet vidisse velut Rex Victor amicos*  
*Per Populos det jura, viamque affectet Olympo.*  
*Blande Puer; Patris virtus exordia pandat*  
40 *Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*  
*Ipse Pater Recti Custos, Servator Honesti,*  
*Illud agit, Nostri sanctissima Gloria Christi*  
*Atque Ecclesiolae nitidissima commoda crescant,*  
*Et sacrum in amplexum Justumque Aequumque ferantur.*  
45 *Sancta refert animi Christo bona; Sanctus haberi*  
*Justitiaeque tenax, dictis factisque meretur.*

- Instituit sanctum Utilibus praeponere Rectum,  
 Quaerere communes Leges, Injustaque nunquam  
 Largiri Sociis et proximitate propinquis.
- 50 Nobilis instruxit praestans Patientia corpus  
 Vt nunquam cupiat cessisse laboribus ullis.  
 Rerum humanarum victrix Prudentia, sanctum  
 Ornavit graviore Animum dictamine, ne quid  
 Inconsultus agat, ne quid molimine peccet.
- 55 Enthea divinam finxit Constantia mentem  
 Ne gerat infirmum, quidquam ne futile tentet.  
*Blande Puer; Patris virtus exordia pandat  
 Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*
- 60 Magna Patris Virtus, et plurima Copia fandi,  
 Quando libet tremulos pariter cum grandine nimbos  
 Tensaque vibrata jaculari fulmina lingua.  
 Magna Patris Virtus et florida Copia fandi,  
 Dulcia quando libet, liquidoque fluentia cursu  
 Verba, Venustatis docto depingere flore.
- 65 Illustris Regni numerosa laude Senatus  
 Excipit, et meritas persolvit Patria voces.  
*Blande Puer; Patris virtus exordia pandat  
 Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*
- 70 Vidit: et ut vidit Rex, Augustissimus Heros,  
 Ardua Progenies Regum, GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Spes Patriae, aeternae fulcrum Pietatis, et illud  
 Dulce jubar terrae Arctoe, Sol, Phosphorus ille;  
 Hunc, dixit, Pietate gravem, Gravitate verendum,  
 Consiliis, summis Regni de rebus habendis
- 75 Jungam, consultus quo sancta Oracula reddat.  
 Nec mora; Dante Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,  
 Ille Senatores Regni pulcerrimus inter  
 Lucet, et in dubiis responsa beantia profert.  
*Blande Puer; Patris virtus exordia pandat  
 Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*
- 80 Esthonicus quondam Marte, et nunc Arte Ducatus  
 Illustris; tractu qua se multiplice volvit,  
 Sanctus ab integro ut seclorum ille ordo resurgat,  
 Summaque mundi aetas priscum decurrat ad aevum,
- 85 Et surgat nostro Gens Esthonica aurea mundo,  
 Ac pacatus eat compostis<sup>88</sup> moribus Orbis;  
 Ipse Pater dat Jura viris Legesque beatas,  
 In melius veneranda refert Responsa, foveoque  
 Esthonicae Dominos terrae, Gentemque togatam.
- 90 *Blande Puer; Patris virtus exordia pandat  
 Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*  
 Nobilis illa Fides Patris, mens nescia quenquam  
 Deserere in posita gravium statione malorum,  
 Vsque domi usque foris praesto praelustribus astat

<sup>88</sup> *compostis* pro *compositis* U metri causa

- 95 Auxiliis; Genio, Eloquiis, ope Consiliorum  
 Adjuvat; et quoties graviora negotia surgunt  
 Delecta ingreditur Sacrosancti limina Regni.  
 Consulit Illustri Illustrem sermone Senatum,  
 Ne formido recens, et inevitabile fatum
- 100 Exsurgat, quod curvet humi, male corpora frangat.  
*O dilecte Deo! multum exoptabilis Infans!*  
 Interiora Pater Sancti penetralia Regni  
 Intrarat; quo docta ferat Responsa, beate  
 Consulat in medium, et graviora negocia tollat;
- 105 Quando Materno constrictum carcere, quando  
 Vidimus aetherea Puerum te luce carentem;  
*O dilecte Deo! multum exoptabilis Infans!*  
 Ipse Pater Sveonum sese referebat ab oris:  
 Jamque pedem multa cum laude reflexerat, atque
- 110 Sospes ad Esthonicas iterum pervenerat urbes;  
 Fractis quando uteri vinclis, per claustra viarum  
 Egredere; Reducemque Patremque propiore salutas  
 Intuitu, dextraeque optas conjungere dextram.  
*O dilecte Deo! multum exoptabilis Infans!*
- 115 Nobilis ipsa Parens, Nomen Virtutibus aequans,  
 Plurima quam Virtus, incoctum et pectus Honesto,  
 Cognitio et veri, et Reverentia Numinis ornat;  
 Patris in adventum, sanctis Puerilia membra  
 Ipsa levat manibus; jungitque precantia verba,
- 120 Atque bonis pergit bona dicere cuncta diebus.  
 Pertentant Patrium felicia gaudia pectus,  
 Exultatque, et vix animo sua juba differt;  
 Continuo, dixit; Fatis mihi debita Salve  
 O mea Progenies, mea deliciosa Voluptas!  
 Te mihi dilectum coelestia Numina Gnatum
- 125 Incolumem donent, et Fata beata reservent;  
 Sic, Te Prole Parens multum sum sospite sospes,  
 Laetitiaque pias voces ad sidera jacto.  
*O dilecte Deo, multum exoptabilis Infans!*  
 Sit faustum et felix! Natalis amabilis hora
- 130 Te similem prima promittit origine Patri.  
 Dante Deo, decimum dum Luna recurrit in orbem,  
 Annus ad Augustum mensem pervenit: Honore  
 Insurge Augustus, deductaque nuper ab alto  
 Aethere cognati retine sacra semina coeli.
- 135 *O dilecte Deo, multum exoptabilis Infans!*  
 Te Patris et charae Genitricis provida cura  
 Ad deponendas maculas vocat, et jubet; Infans,  
 Fluminis ut liquidi capias miranda lavacra  
 In sancto Patris, venerandi in Nomine Nati,
- 140 Vivifici pariter Sacrosancto in Nomine Flatus.  
*Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*  
 Accipis optato una undamque auramque salubrem



- Atque salutiferi Baptismatis amne novaris.  
*Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*
- 145 Hinc postquam implebis primaevi corporis annos,  
 Et teneram fando poteris formare loquelam;  
 Sancta, Puer, tenera modulabere carmina voce,  
 Carmina Coelestem nostrum resonantia Christum  
 Factum Hominem, totis sperataque gaudia terris.
- 150 *Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*  
 Dante Deo, postquam prima aevi parte viresces,  
 Cultores animi, doctos morumque Magistros  
 Accipies, mentem studiis et rebus honestis  
 Intendes, Pueris Exemplum Illustre futurum.
- 155 *Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*  
 Postquam, dante Deo, solito et famulante labore  
 Natus eris, quod Pythagoras, Schola quodque Platonis  
 Dixerat, attento auscultare et discere sensu;  
 Tunc memor, ingenium grave quod Genus augeat altum,
- 160 Excellens Academiacas novus Hospes ad oras  
 Accedes, quo alto se pectore tota Vetustas  
 Condat, collectis et major viribus intret.  
*Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*
- 165 Sacra, Profana inter, Phalaris ne misceat unquam  
 Omne ad se rapiens per fasque nefasque paratum;  
 Addocet, addisces, quod Justum Papinianus,  
 Noveris et causas per dogmata sana novare.  
*Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*
- 170 Hinc ubi jam firmata virum te fecerit aetas,  
 Per gravium casus et pulcra pericula rerum  
 Terrarum varias novus Hospes abibis in oras;  
 Imperium Gentis disces, miraculaque Artis  
 Accipies, Naturae altae discrimina disces.  
*Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*
- 175 Tandem tempus erit peregrino abscondere mundo,  
 Et sese Reducem patriis ostendere terris,  
 Patria quo fructum ferat indubitata laborum,  
 Et nova in enatis agnoscat commoda causis:  
 Tum lustres Christo, sanctosque indicere cultus
- 180 Incipias; Desperandum nihil, Auspice Christo!  
 Tum Civem Patremque geras; dum consulere omni,  
 Non tibi, concipias! Te flectant publica vota:  
 Et Musae curae Tibi sint et Pallados Artes.  
*Sancte Puer, Salve! Salve exoptabilis Infans!*
- 185 Quo te Coelestis Sapiencia duxerit, ito  
 Sacra per aetherei semper molimina Flatus.  
*Quod superest, si quid superest; Salvete Parentes:*  
 Multiplici Illustres Virtute et Honore Parentes,  
 Salvete! et titulis Generosus fulgeat Infans,
- 190 Et sanctis studiis Illustria Nomina tangat.  
*Sic Patrum et Virtus Majorum exordia pandat*

*Laudibus, atque omnes redeant in semina causae!*  
*Quod superest, si quid superest; Salvete Parentes;*  
 Vos Pater Omnipotens, rerum cui summa potestas,  
 195 Incolumes servet; Benedicat in omnibus, atque  
 Longaevam sano tradat cum corpore vitam  
 Cladibus exemptam magnis, bellique pavore:  
 Vosque manu praesente, malo defendat ab omni,  
 Semper et ad gelidam felices porro senectam  
 200 Servet: et agnata sitis bene Prole renati  
 Et Natis Natorum, et qui nascetur ab illis.  
 Sic, tribuente Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,  
 Non tantae radix morietur langvida Gentis;  
 Verum felici multum laetabitur aevo  
 205 Ultimum ad usque diem, rerumque novissima Fata.

Quod ipsum  
 Ex Voto Venerandi Senatus Academi-  
 ci in Regia Academia GVSTA-  
 Viana, quae Dorpati est ad Em-  
 beccam  
 reverenter vovebat  
 Animus et calamus  
 LAURENTII LUDENII, Holsat. PH. et  
 J.U.D. Professoris ibidem Juris, Oratoriae  
 et Poëseos, ac pro t. Universit.  
 Rectoris Magnifici.

60. Adr: Johannes Schlechter– Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de varia sorte urbis Hierusalem: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 10. die Augusti (qui Urbi diversis quondam vicibus fuit fatalis) anno 1637. /.../ publice recitabat Johannes Schlechter, /.../ - Dorpati Livonorum, 1637: Lit. acad.)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Pietate, Doctrina et Humanitate*  
*conspicuo*  
*Dn. PERORANTI.*  
**JOANNES SCHLECHTER:**  
*Per Anag.*  
**HINC CLARES HONESTE.**

*Quod felix faustumque velit Deus esse Deorum;*  
 JANE Novenarum cultor delecte Sororum,  
*Eusebiae et Sophiae studiis incumbis, HONESTE*  
*HINC CLARES, nomenque tuum laudesque manebunt.*  
 5 *Quod felix faustumque velit Deus esse Deorum;*  
*Eloqueris, quando oppressus jam nocte pudor stat,*  
*Et virtus cessit vitio, luxuque solutum*  
*Omne decus, pacem et servant commercia culpa;*  
*Quod Pater Omnipotens, rerum cui summa potestas,*  
 10 *Ardeat affectu, et calidam effervescat in iram*  
*Vlcisci mundum, et meritas exposcere poenas.*  
*Eusebiae et Sophiae studiis incumbis; HONESTE*  
*HINC CLARES, Nomenque tuum, laudesque manebunt.*

Quod unice app.  
 LAURENTIUS LUDENIUS, PH. et  
 J.V.D. in Academia GUSTAVIANA, quae  
 Dorpati est, Professor Juris, Oratoriae et Poë-  
 seos, ac pro t. Vniv. R. Magnif.

61. Adr: Johannes Schlechter – Aut: Adrianus Verginius (cf. 60) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Non, DEus Excelsus, DEus est, mala facta Virorum  
 Cui placeant; minime coram hoc Veri impius osor  
 Consistet; poscet Dominus cum sanguine poenas.  
 Cernere divinae exemplum qui concupit irae,  
 5 Hic variam sortem, Solymae quam moenia quondam  
 Sunt experta, legat, repetat, sub pectore volvat.  
 Sortem hanc, SCHLECHTERUS, facundo edisserit ore,  
 Laudibus hinc meritis extollitur. Impie, disce  
 Esse pius, vitare malum formidine poenae:  
 10 Nam, FELIX, FACIUNT QVEM ALIENA PERICVLA CAVTVM!  
 Adrianus Verginius Juli-  
 no Pomeranus.

62. Adr: Johannes Schlechter – Aut: Christophorus Michael (cf. 60) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Semper ut immenso Justos comitatur amore  
 Ipse DEVS, pravos sic premit ira DEI.  
 Exemplum occurrit Solymae, quam funditus urbem  
 Evertit; populum dissipat orbe suum!*  
 5 *Quod graviter nobis, Frater, depingis ad ungvem,  
 Vrbs licet haec nunquam sit TIBI visa prius.  
 Gens utinam Germana diu haec Exempla notasset,  
 Non eadem, quae nunc, poena secuta foret.  
 CHRISTVS at est nobis orandus ut arma quiescant,  
 10 Oranti Christus fata benigna dabit!*  
 Ita Dn. Peroranti ὀλοψύχως  
 gratulatur  
 CHRISTOPHORUS MICHAEL  
 Frosanus Halb.

63. Adr: Johannes Schlechter – Aut: Jacobus Friederichs (cf. 60) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Ergo colente DEum Solyma non pulchrius unquam!  
 Vt tua jam nobis scripta diserta sonant.  
 Sic Solyma spernente DEum, nil tristius unquam!  
 Vt tua jam nobis scripta diserta sonant.  
 5 Perge, velut pergis, nobisque edessere semper,  
 Quid prosit Pietas, obsit et Impietas.  
 Faustae acclamationis e. f.  
 JACOBUS Friederichs /  
 Riga-Livonus.

64. Adr: Johannes Schlechter – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 60) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Enthea qui Solymae depingi moenia justae,*

*Hyblaeoque simul melle Siona colis:  
Sic Heliconiadum, et Svadae sectare cohortem;  
Grande bonum docto lingua diserta Viro.*

JACOBUS LOTICHIUS  
Riga Livonus

65. Adr: Olaus Nicolai Werelius – Aut: Emundus Johanni Lynaeus (Oratio de libertate politica, quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 17. die Julij, anno 1637. /.../ publice habebat Olaus Nicolai Werelius. – Dorpati, 1637: Typ. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo*

Dn. OLAO NICOLAO Werelio, de Libertate Politica docte Peroranti.

*Libertas quondam fuerat preciosior auro:  
Ob lucrum servus, degener esse cupit:  
Rite proinde facis, meliori Numine ductus,  
Amisam monstrans, restituensque loco.*

5 *Libertas vere est comes et Virtutis amatrix  
Virtutem ergo tenet qui, bene Liber erit.*

EMUNDUS JOH. Lynaeus.

66. Adr: multi (Johannes Vieth, Henricus Sager, Johannes Bojen, Nicolaus Tedens) – Aut: Petrus Langius (Oratio de aquis: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 30. die Octobr. anno 1637. /.../ publice recitabat Petrus Langius /.../ - Dorpati Livonorum, 1637: Lit. acad.) (cf. 11-16) SKB, RNB, [Tartu UB]

DEDICATIO

*Soepius in nostris terris vis major Aqvarum  
Surgit, et hinc integrisque susurrat agris.  
Tanti scire mali causas pulcerrima res est,  
Enarrat tristes pagina missa vices.*

5 *Vos Gravitate Viri Praestantes, Vosque beata  
Ornati Juvenes cognitione rei;  
Accipitote novae facilesque bonique Camoenae  
Hoc scriptum: Musae mente favete meae.  
Vos Pater omnipotens refluis defendat ab undis;  
10 Et vita aeternum dexteriore beet.*

In debitae gratitudinis et verae Pietatis documentum

D. D. D.

PETRUS LANGIUS

Heida Dithmarso-Holsat.

## 1638

1. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Petrus Schomerus (Sacris Nuptiarum Honoribus /.../ Jacobi Balccii, Gryphiswaldensis Pomerani, Regiae Scholae Trivialis Dorpatensis conrectoris, sponsi: /.../ Dorpati Livonorum 6. die Februarij, anno 1638. conjugium contrahentis cum /.../ Anna /.../ Bernhardi Korfes, J.U.D. et per Megapolin practici /.../ filia; /.../ Petri Goetschenii, p.m. SS. Th. lic. in Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ Graecae linguae professoris; et Regiae Scholae trivialis ibidem rectoris, relicta vidua; quaevis fausta precabantur amici. – Dorpati, 1638: Lit. acad.)

SKB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

*Luxurians laetam veluti se Vitis ad Vlmum*

*Applicat, et ramos porrigit inde novos;*  
*Talis sit socians vestras concordia mentes,*  
*Vos et amore pari gratia viva liget.*  
 5 *Succrescant blando charissima pignora lecto;*  
*Succrescant, faciat, fata beata, Deus.*  
*Denique Nestoreos faxit vos vivere in annos,*  
*Et tandem summi scandere tecta poli.*  
 10 *Comprecor eventus habeant mea vota secundos,*  
*Vt quidvis junctis cedere rite queat.*

Quod felicioris ominis ergo  
 vovebat  
 M. PETRVS SCHOMERVS  
 Vpsalia-Svecus, Astron. et  
 Phys. Prof. Publ. et Acad. Dor-  
 pat. p.t. Rector Magnificus.

2. ADR: Jacobus Balccius et Anna Corfinia - Aut: Laurentius Ludenius (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Vimine contorto corbis clavoque trabali*  
*Constat, compositum qui bene tollet onus.*  
*Sponse, Novenarum cultor studiose Sororum,*  
*Delicium Veneris, dulce Decusque chori:*  
 5 *Fallor: an e torto corbe et trabe nobile constat*  
*Conjugium; et Trabeticus corbis, Amoris opus?*  
*Scilicet in laetos serpunt CORFINIA et ille*  
*BALCCIUS amplexus. Est novum Amoris opus!*  
 10 *Nulla domus tales unquam conjunxit amantes,*  
*Qualis amor jungit vos propiore Fide.*  
*Inter-adestis-Vos, auresque manusque pedesque:*  
*Et certant nexis basia nexa labris.*  
*Mutuaque alternis junguntur colla lacertis:*  
*Hoc poterit vinclo firmitus esse nihil.*  
 15 *CHRISTE, fave coeptis: sese inter serpere pergant*  
*Trabs et Corbis: erit mens, caro et una fides.*

*JACOBVS BALCCIUS:*  
*Per Anag.*  
*I! SIC ALBVS ACCVBO.*  
 I mecum; pie CHRISTE, veni; Te dante, beatis  
 SIC ALBVS ACCUBO toris.

*ANNA CORFES:*  
*Per Anag.*  
*CANON; FERAS.*  
 Ille CANON, patienda FERAS, pulcerrimus. Adsis,  
 Christe; et nobiscum, Christe, ferenda FERAS.

Quod ex animo v.  
 LAURENTIUS LUDENIUS Holsat.  
 PH. et J.U.D. in Regia Academia GUSTA-  
 Viana, quae Dörpati est ad Embeccam,  
 Professor Juris, Oratoriae et Poëseos.

3. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Jacobus Gerschow (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Reddere foecundas Nilum scripsere bibosas,  
Quotquot erant steriles ante Virago cohors.  
Huc Europaeae matres, Asiaeque profectae  
Foecundos uteros mox reperere suos,  
5 Qui steriles olim. Peibae lacus hanc virtutem  
Prosper habet, situlum foemina si qua bibit.  
BALCCIVS id novit veneranda sorte JACOBVS,  
Gryphiacas Patriae non sitit ille nurus.  
Foecundus fieri locuplete cohorte praeoptans,  
10 Nupturit ad Peibae lege decente lacum,  
Narvias huncce bibit, bibit Olsias, Assa, Coluta,  
Plescovias, Talkef, Petzur, Adava, Laos.  
Foecundae populis omnes et prole feraces,  
Qualem Balkiaden vivere quisque vovet.  
15 Vade, Vale prosper BALCKI, foecundus et esto  
Sit tua Corfinias par tibi quoque bono.*

Gryphiswaldiae voto intimo  
JACOBUS **Gerschow** / Phil. et J.V.D.  
L.L. et Poës. Prof. Ord.

4. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Christian Schwarze (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*BALKI, noster Amor, fingis te Carmen amare,  
Dum Carmen thalamo quaeris ubique tuo.  
Sed Carnem, non Carmen amas quod fingis amare,  
Dum Carnem in thalamo quaeris, Amice, tuo.  
5 Sumis utrumque tamen, gratam dat CORFIA carnem  
Quam vis, quod fingis do tibi Carmen ego.*

Gryphiswaldiae Lubens Ludensque app. et grat.  
CHRISTIAN **Schwartz** / J.V.D.  
et Illust. Dicast. Wolgast. Adsector  
et Referend.

5. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Hermannus Querinus (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Si quis amet teneram forma praestante puellam,  
Per CORBEM, misere ne cadat ille, timet.  
BALCCIVS at CORBEM longinqua per aequora quaerit,  
TRABSque cava ad CORBEM jam trabe sulcat iter.  
5 Ecce quod odit Amans, BALCCI tu concupis, atque  
Ex parto metuis nil tibi CORBE mali.  
Cumque nec in Patriis habeas POMERANIDOS oris,  
LIVONVM CORBEM quaeris in orbe tuum.  
Quid cum CORBE TRABI? mirum! dic, Sponse, quid ambis  
10 CORBEM? nam metus est, ne male CORBE cadas.  
Pergis at intrepide! Poenam denuncio, Corbis  
Suspendi clavo ceu mediante solet.*

*Sic cadat in CORBEM, ne decidat, haereat ulnis  
In mediis pendens TRABS, peto, CORBE suo.*

Ita in nuptiis Amici sui hono-  
randi Gryphiswaldiae lusit  
HERMANNUS QUERINUS, J.V.D.

6. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Georgius Mancelius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*ADLUSIO ad cognomen SPONSI et  
SPONSAE.*

Non sane e TRABIBUS, sed lento vimine CORBIS,  
Nectitur, adsiduus sic semper clamitat usus.  
Ergone primus eris tu, *praestantissime* BALCCI,  
Nectere qvi CORBEM hinc alia ratione valebis  
5 E TRABE tam valida? quam (vah) Pomeranica tellus  
Gryphiadum in sylvis produxit sydere laeto;  
Textilis ast in agris Varni sunt vimina CORBIS  
Orta. O mirandum! TRABS haec se tollat in auras,  
Atque eat ad coelum tamis distentus abunde  
10 Sit CORBIS (votum DEUS audiat) intus et extus.

Festinanter ludeb.  
GEORIVS MANCELIVS Semgallus, SS.  
Th. Licent. III<sup>mo</sup> Curlandiae Principi a  
Concionibus

7. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Michael Savonius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Christiadum Musae praesentia Numina Vatum  
Plaudite jam Sponsis; concelebrate metris.  
Pandite Conjugibus Carmen, saltusque movete  
Sponsum cum Sponsa condecorate modis.  
5 Quattuor est lepidis, age, res distincta figuris  
Cui facies eadem terga caputque dedit.  
JACOBI in Thalamos quae ducitur ANNA decora, est  
Vt scandat castum nupta venusta torum.  
Cernitis ut Sponsi cingat latera alta Cupido  
10 Et promat casta tela pudica manu.  
Parte alia Sponsam gressu comitantur ovanti  
Quas sibi conjunxit dexteriore fide.  
JESV CHRISTE, potens hominum servator et author,  
Qui curas casti foedera casta tori;  
15 Ingredere hunc Thalamum socialia foedera firmans  
Ambobus Sponsis vincula necte novis.  
Fac faciles ipsis producant stamina PARCAE,  
Vt vivant longa posteritate diu.  
Vivant felices, Concordes, tempora longa  
20 BALCCIACA ut fiat prole beata domus.  
Vtque leves hederæ viridantia brachia jungunt,  
Sic duo sollicitus pectora jungat Hymen.*

*Optima TVRTVREO societ concordia nexu,  
Cunctaque pacificus damna repellat amor.*  
25 *Sic tibi perpetuo dicetur gloria cantu:  
Sic tibi perpetuo laus, decus et sit honor.*

M. MICHAEL SAVONIUS Logices et  
Ethices P. Or. ut et Scholae Regiae Academiae  
Trivialis Rector, amoris et honoris ergo  
gratulatur.

8. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Andreas Volcmarus (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

JACOBUS BALCCHIUS, Sponsus,  
ET ANNA CORFINIA, Sponsa,  
ἀνάγραμ:  
*Jocus sit fons, cibus, cor sanans: En huc  
labia apponas.*

Saucia CORda gerit vivens in coelibe vita,  
Namque immundicie non caret ullus homo.  
Eligis ergo JOCOS thalami licitosque, sacrosque,  
Mundatos Christi sanguine, si modici.  
5 Ille JOCUS tibi SIT CIBUS AC FONNS, COR bene SANANS,  
Vt coëant animi vulnera rite tui.  
EN tamen HUC LABIA APPONAS, svavissime Sponse,  
Ad FONtem, qui sit Sponsula chara tibi.  
FONNS, CIBUS, atque JOCUS tibi sit tua Sponsa pudica,  
10 Haec SANET CORdis vulnera cuncta tui.  
Sic tamen APPONAS LABIA ad labra dulcia Sponsae,  
Ut videas fausti germina grata tori.

Ita suo olim Condiscipulo, ceu fratri dilecto,  
Derptam Livoniae abituro, gratulabun-  
dus Gryphiswaldiae vovebat  
M. ANDREAS VOLCMARUS, Vsdm.  
Pom. S.S. Theol. Stud. et p.t. Schol.  
Gryph. Senat. ConRect.

9. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Guilelmus Ulricus (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Gratulor Vxorem tibi cum virtute pudicam:  
Coniugio cedant prospera quaeque rogo.  
Vivito tu felix, BALCCI, cum Conjuge chara,  
Hanc DOMINVS stabili junxit amore tibi:*  
5 *Vivite felices, Thalamum precor esse feracem,  
Optatae prolis semine luxurians.  
Vna sit ambobus mens et cor atque voluntas,  
Nec castum turbet lis inimica Torum.  
Vivite per multos conjunctis mentibus annos,  
10 Sit sine nube dies, sit sine lite Torus.  
Vnanimis longae numerantes tempora vitae  
Sub fausto vestrum carpente sydere iter;  
Vivite concordis et jungite labra labellis  
Quo referat fructus vinea, Christe, tibi.*



- 15 *Det vobis Dominus, vitae qvae postulat usus,  
Pellat clementi soeva pericla manu.  
Det DEVS ut valeat, vigeat, florescat uterque:  
Annue tu votis, Christe benigne, meis.  
Plura Thalia negat; multum Salvete, Valete,*  
20 *Promptus ero, qvoties tempus et hora jubent.*
- Pro alma conjugij faustitate, fauste  
sic vovere volebat  
GVILELMVS VLRICVS Junior

10. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Adrianus Verginius (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

- Conjugij Deus est mirandus fautor et author,  
Invocet hunc cupiens jura subire tori.  
Sehr wunnerlick itz GOTT in allen sinen wegen/  
Drumb moet ock wunnerlick sick vaken wat Todregen/  
5 Wärnemlick kan man ock Gads wunnerlicke Hand  
Späern/ wenn man Recht besüht den hillgen Ehestandt.  
Jacob dei frame Mann möst' Esaus Toerne wiken/  
Unn vht sien Vaderland' innr frömdd herümmer stricken/  
Süh wat begeind' em dar! Gott gaff em eine Bruet/  
10 Dar he doch fryens halffn nich was gewannert uet.  
Des vlln Tobias Sähn was ock hennuht getagen/  
Nich dat he sick en Brud darbuten wull' vpfragen;  
Lieckwol so sckicko et Gott/ dat he en Fruwe nam/  
Vnn also gauder ding toem Vader wedder qwam.  
15 Dit glickniss kan men ock Herr Lannsmann vp juw düden/  
Gy sind ock weggetagn van jugen Lanneslüden/  
Vnn wullen hier in Dörpt dei hohe Schaul besein/  
Bedincket averst recht/ wat itz ju mehr geschein?  
20 Dei schware Reiss hierhehr hessg' all reign averwunnen/  
Wielg' heffen hier in Dörpt en schmucke Bruet gefunnen/  
Dei juw all hartenleed ilig verdriesen kan/  
Wenn sey juw soet ansüht/ vnn secht hartleve Mann.  
Woll hadde woll gedacht vnn hadde dörffen seggen  
Dat gy noch schullen hier in Dörpt en Bruet to leggen  
25 Tiss lieckwol nu geschein/drüm löwen wy gewiss/  
Dat Gott in allem dohn gans wunnerbahrlick itz.  
Wiel Gott vnn Minsken en gefallen heffen plegen/  
Wenn Mann vnn Fruwe sick hüptz fredsamlick verdregen/  
So heffet/ Herr Lannsmann/ leeff vnn wert juge Bruet/  
30 Vnn hollet söet vnn fuer mit er gedüllich uet.  
So leeff als Ahasveers de schmucke Esther hadde/  
So hesset juwe Bruet/ Herr Lannsmann/ ock im Bedde/  
So leeff als Jacob ock dei Rahel heffen plag/  
So heffet juwe Bruet/ Herr Lannsmann Nacht vnn dag.  
35 Wenn gy so tüssken juw warrn Fried' vnn Eincheit plegen  
So ward gy ricklick späern im Huse Gades Segen/  
Wog' äverst kiesen warrn vnn juw einander schlan  
Ward alle Segen Gads vht juwem Huse gahn.  
40 Nu lev' Herr Lannesmann/ ick Wunsck van Harten Grunde/  
Juw so veel Goder Jahr vnn so veel Froclick Stunde  
Als Hemmels Sternen sint/ als Fisck' im Water gahn/

**Als Böme tüsscken hier vnn Rig' vnn Revel stahn.  
Darnevenst Wunsck ick ock dat gi na Vecrtig wecken  
Herummer mägen gahn vnn Vadderen ansprecken/  
45        **Dat itz mins Harten wunsck; darmit befehl' ick Juw  
Vsen leven Herren Gad'/ vnn Juw Leven Fruw.****

Ludite, ludendo totas consumite noctes:  
Et lusus vestri pignora certa date.

Adjicere haec voluit Dn. conterraneo  
suo per dilecto  
ADRIANVS VERGINIVS Iul- Pom.  
S.S. Theol. Studiosus.

11. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Johannes Heinricus Brandt (cf. 1)SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Qvae Deus instituit genialia foedera lecti,  
Haec probat, et sancte vult sine labe coli.  
Pronubus ipse toris, accendit corda duorum,  
Atque jubet stabiles sint in amore duo:  
5        Qvare cum renovans Hymenaei jubila festi  
Sponsa, tibi juvenem jungis amore virum;  
Obsequium praestas Jovae, et praeconia laudis  
Summa merere: Deus praemia justa dabit.  
Immo dat hoc ipso, qvod, eo curante, marito  
10        Cum tali thalami jura secunda subis;  
Qvalem multoties votis, validaque precum vi  
Optasti, vivis dum viduata viro.  
Sic confisa Deo spes non confusa labascit,  
Sic sibi fidentes dotat ubique Deus!  
15        Gratulor hinc vobis, quorum sic junxit amoris  
Herculeo nexu corcula bina Deus.  
Gratulor, et vobis bona tot, qvot pontus arenas,  
Celsus qvotve polus possidet astra, precor.  
Conjugium sit dulce jugum, re dulcius omni,  
20        Aeqva Venus mentes stringat, et aeqvus amor.  
Principium felix, felix sit et exitus ipse,  
Incidat in vestram nulla qverela domum.  
Vivite felices, nec lectum turpet Erynnis  
Dira, nec alterius soeva procella mali.  
25        Alter in alterius svavi reqviescat amore,  
Unanimem foveat gratia pulcra torum.  
Pax vigeat, lites discedant inter amantes,  
Pace Venus gaudet, pace vigescit amor.  
Nestoreae vobis Dominus det secula vitae,  
30        Et faciat Sponsum divite prole patrem.  
Haec precor, haec imis cordis radicibus opto,  
Si vobis praesens det Deus ista, sat est.

Ita faustae acclamationis ergo accinebat  
Gryphiswaldiae

JOHANNES HEINRICVS **Brandt** Rinthelio-  
Schawenburgicus, S.S. Theolog. Studiosus.

12. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Georgius Friderici (cf. 1) SKB, [Tartu UB]

Res miranda quidem: blanda quod asperis  
 Commiscens Sophiae regna petat, sacros  
 Dum tecte juvenes torquet amoribus,  
     Mater soeva Cupidinum.  
 5 Molles namque velut robore fortibus,  
 Ac concreta gelu corpora fervidis:  
 Praeceptis male sic conveniunt amor  
     Mollis, Pallas et aspera.  
 Artes quippe bonas haec jubet impigre  
 10 Scrutari, et solidae vim Sapientiae:  
 Is certare jocis, et dare basia  
     Svadet blanda puellulis.  
 Dic quaeso ergo mihi, cur adeo Venus  
 Indigne famulos torret Apollinis?  
 15 Atque illi faciles cur animis statim  
     Ceu victi subeunt jugum?  
 Sic est: conveniens quisque probat sibi:  
 Pulchri pulchra colunt: candidioribus  
 Culta et docta placent: candida commovent  
 20 Doctos rursus, et attrahunt.  
 Nil candore prius, nil Sapientia:  
 Nil pulcro ingenuis aptius artibus:  
 Sic doctis sociat pectore candidas,  
     His, claros studiis, Venus.  
 25 Testis BALCKIUS est conspicuus, sacro  
 Gratus Pierio, gratus Apollini,  
 Idcirco celebris dotibus ingeni  
     Nymphae gratior optimae.  
 Quam clara genitam stirpe, fide piam,  
 30 Insignem facie, moribus integram,  
 Divino sibimet munere traditam  
     Nexu jungit amabili.  
 Sis felix igitur, praelia cui Venus  
 Tam jucunda movet, militia ut tua  
 35 Victor, digna feras praemia, bellulam  
     Asportans sociam tori.  
 Sit prosper thalamus, sit sobolis ferax,  
 Sit ditata domus pace, vicens bonis,  
 Vt salvi foveant delitias novi  
 40 Quovis tempore conjuges.

Sic voveb.  
 GEORGIVS FRIDERICI Pom.

13. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Christophorus Michael (cf. 1) SKB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Trabs veluti fortis portando roborat aedes,  
     Plurima sic etiam commoda Corbis habet.  
 Induntur Corbi carnes, fracimina, panes,  
     Ac pyra multa simul, dulcia poma, nuces.

5 Est igitur felix Corbem qui repperit, in quem  
 Pro lubitu semper condere cuncta queat.  
 Ast si perpendo, multo felicior es Tu  
 BALCCI, cui Divum munere Corbis adest.  
 Vivens CORBIS adest tibi nunc, mirabile dictu,  
 10 Egregium hunc Corbem condidit Ipse DEUS.  
 Hunc in depones curas solitosque labores,  
 Quae Conrectori sunt toleranda TIBI.  
 Omne supervacuum in talem deponito Corbem,  
 Omnia ne dubites fortiter ille feret.  
 15 Soepius hoc faciens CORBEM complebis in anno  
 Donaque sic Corbis postmodo grata dabit.  
 Vivite concordēs: Corbem TRABS tolle suavem,  
 Tuque TRAbem rursus Corbis amore feras.

Amoris ergo f.  
 CHRISTOPHORVS MICHAEL  
 Frosa Halberst.

14. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Georgius Goetschius (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

### Hochzeit-Gedicht vnter der Person Des Bräutigambs.

Wer ein gefallen trägt die Zeit des besten Jahren  
 Allein zu bringen hin daß er dadurch mög sparen  
 Den Ehstand/ welchen doch Gott selber hat gestiftt/  
 Derselb sag ich fürwar nicht recht verständig ist:  
 5 Derhalben ich mich auch verlandegn trag zu paren  
 Vnd in der vbrign' Zeit den Ehstand zu erfahren;  
 Denn nur die Einsamkeit gar groß pein mich sich bringt/  
 Ja bißweilen auch wol mit dem Todt selber ringt.  
 Ein fromm Gottfürchtig Weib ist Gottes reicher Segen;  
 10 Mann findt es trawen nicht an den Zäunen vnd Wegen/  
 I st ein auch Ort so was liebers; zulegen kan  
 Vns/ als ein' Haußfraw schon/ so getrew jhrem Mann.  
 Ein Weib daß jhre Tracht wenn sie sich wol gezieret/  
 Die Tugend/ nicht das Kleid acht/ wird allzeit geehret;  
 15 Ein böses Weib zu Tisch/ vnd sonst gar böß im Hauß/  
 Verleuret Huld vnd Gunst; *Venus* lescht auch bald auß.  
 Ein Weib das jhr Gesicht verstellt bringet ein Grawen/  
 I st hetzlich/ scheußlich/ ja vnlieblich anzuschawen;  
 Ein Weib da trotzt und pocht auff jhre Gut vnd Geldt/  
 20 Da ist gantz wenig auff zu bawen in der Welt.  
 Ein Weib von Tugend reich/ mir sonst gleich behaget/  
 Welche zu lieben stets mein Hertz quälet vnd naget/  
 Derselben ich mein Haab/ Her/ all' mein Gut vertrauw.  
 I ch auch auff jhr/ nehst Gott/ mein Hoffnung setz vnd  
 25 Weil aber wenn das Fleisch gemein/ sich vielmahl leiden  
 baw.

Findt; Wiederwertigkeit/ Creutz/ Elend/ zwischen beyden/  
 Wünsch ich daß mögen wir geduldig seyn vnd fromm/  
 Gantz kein Mißstrawen sey vnter vns/ auch nicht komm/  
 30 Biß das O HERRE Gott zu deinem Lob vnd Ehren  
 Sich Fleisch vnd dann die Welt thun scheiden vnd verkehren;  
 Ja biß wir endlich all' versetzt werden zugleich  
 I n dem Himlischen Erb/ erblichen Himmelreich.

## VOTUM.

Vivite concordēs, crescat concordia semper:  
 Vos et vestra DEUS protegat atque beet.

35 I n steter Lieb der getrewer GOTT  
 Erhalt Euch fest biß in den Todt.  
 All HaußCreutz/ Trübsal vnd Elend  
 Von Euch vnd all den Ewren wend.  
 Gute Gesundheit langes Lebn'  
 40 Wünsch ich daß er euch wolle genb'/  
 Dazu auch Kräfft im Ehestandt/  
 Damit er wol sey angewandt.  
 Vnd zwar also daß jhr mögt seyn  
 Zukünfftig Jahr nicht mehr allein/  
 45 Sondern gedreyt oder gevierdt/  
 Welches den Ehstand trefflich ziert/  
 Vnd erfrewt beydes Fraw vnd Mann/  
 JACOBUS BALCK wird Ehre han/  
 Wenn er sich helt im KORBE wol/  
 50 Vnd thut was er verrichten sol.  
 Ja ich wünsch Euch nach dieser Zeit  
 Der Seelen Heil vnd Seeligkeit.

Von  
 GEORGIO GOETSCHIO  
 Stetin. Pomer.

15. Adr: Iacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Johannes Georgius Cammerzell (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

JACOBVS BALCCIVS  
 ANNA CORFINIANA:

ἀνάγραμ:

*Lac bibi, o cara; Ficus an Ius? Ancona.*

Stat vetus et longos incidua Silva per annos  
 Floribus atque rosis qvae est condecorata tenellis:  
 Assvetae ripis volucres et fluminis alveo  
 Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.  
 5 His ego dum spatior tectus nemoralibus umbris,  
 Vidi, quid vidi, dicam mea Musa faveto.  
 Advenit primo rosea cervice refulgens

Foemina, quam multa Pallas formavit ab arte,  
 Quam docuit Venus ipsa suos castissima mores,  
 10 Cui pudor et lepidus subridet Gratia vultu.  
 Pulcior et venit nitidissimi Apollinis ore  
 Vir-Juvenis, tristi pervolvens plurima corde,  
 Atque suo tandem moesto haec de pectore fudit:  
 O vita, exilium merito dicenda? Quid omni  
 15 Tempore sicce cupis me sollicitare misellum,  
 Nunc mihi laetitiae data vixque est hora quietis:  
 Instrue, Tiphys rates, extremos ibimus Afros,  
 Littoraque et Libycas pinu fulcibimus oras.  
 Nunc moriar, quia lethiferum in cor foemina vulnus  
 20 Immisit, nemoque potest sanare dolorem.  
 Non aberat longe frontem redimita coronis  
 Foemina, diffusos cervix cui lactea crines  
 Accipit, et molli subnectit circulus auro,  
 Atque his auditis, thalamique ignara jugalis,  
 25 Vix oculos attollit humo, pudor ora colorat  
 Ingenuus, gelidusque pavor praecordia pulsat.  
 Interea tacitum Cytherea instillat amorem,  
 Idaliosque ignes subdit, sociataque lecti  
 Foedera commendat, donec miserescit, et ultro  
 30 Occoepit Iuvenis moerorem demere dictis:  
 Ne tantos tibi finge metus, dilecte, quid aegram  
 Sollicitas mentem, quae nunc formidine tanta,  
 Cura tibi solvit pectus, quid forte bibisti?  
 LAC, o CARA, BIBI, dedit hoc Cytherea nocivum.  
 35 Ejice mente metus, ego sum medicina malorum,  
 Illa inquit, FICUS, AN JUS, charissime Conjux?  
 Nil juvat, ille refert, ANCONA ego posco tenellum.  
 Tu medicamen habes, mihi quo succurritur aegro,  
 Oscula si dederis et centum basia nobis,  
 40 Mutuaque in dulces jungant nos brachia nexus,  
 Tunc quoque salvus ero, Phyllis, mea sola voluptas,  
 Da precor, amplexus, da dulcia basia nobis.  
 Haec super, illa, lubens, o tu charissime conjux,  
 Victa tuis, inquit, precibus succumbo, toroque  
 45 Me sociam conjungo tuo: Tibi brachia pando,  
 Et castos discingo sinus. Communia mecum  
 Sint bona, nec dispar animi, nec corporis usus.  
 BALCCIUS his solus niveis requiescat in ulnis,  
 Inque meos intret thalamos. Hic basia solus  
 50 Auferat, et nostro saturet se plenus amore.  
 Dixit: Et obscuris nox ingruit atra cavernis;  
 Vos, qui connubii nunc sacra lege coitis,  
 Inquit Amor, stabilis societ concordia vitae.  
 Tuque age foemineis castum decerpe pudorem  
 55 Sponse genis. Nunc amplexus, nunc basia junge,  
 Sic feret ANNA tibi tria ter post cornua Lunae

Progeniem, pignus lecti, quod nomen avorum  
Et clarum splendore genus virtutibus ornet.

IOHAN. GEORG. Cammerzellius,  
Svinf. Fran.

16. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Jacobus Friedrich (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Lignea Trabs, prompte succensum concipit ignem;  
Corbis et adjectus flagrat in igne cito.  
Omen adest! Sponsus, veluti Trabs, concipit ignem:  
Ardet ceu Corbis Sponsa tenore pari.  
5 Vnanimi flagrent Trabs-Corbis amoris in igne:  
Ignem ignis gignit; pignora nata sient.

In felix auspiciis S.  
JACOBUS Friedrich / Rigens. L.

17. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Ludolphus Joachimus Busse (cf. 1)  
SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Epigram I.*

Ad Dn. SPONSUM  
*Ipsa Dorotheae die, Viduae honestiss.*  
ANNAE CORFS  
Thalamum conscendentem.

*Una dies duplici titulo TE, Sponse, coronat  
Nam Theodora MAREM TE facit, atque PATREM.  
Diceret at quis: non Pater hic, sed Vitricus audit;  
Quid tum? soepe Patrem Vitricus ipse praeit.*

II

5 *Vitricus hac noster sit Sponsus luce, quid obstat?  
Anno quin possis rite vocare Patrem.*

Sic Neogamo gratulari voluit  
LUDOLPHUS JOACHIMUS BUSSE,  
Danneberga-Lunaeb.

18. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Sponsus Sponsam alloquitur ejusque nomen bis  
octies repraesentat.*

A N N A, mihi nunc anne d A bis quod concupis, ANNA?  
Nec mihi Non placuit nomen N E C D I S P L I C E T O M E N,  
Nec tibi Non placuit nomen N E C D I S P L I C E T O M E N,  
A N N A tibi sic ergo d A b o quod concupis ANNA.

*ALIUD.*

5 Cernis in indomiti quantam vim ferro Adamantis;

Tanta o natura est vis in amore sita.  
 Nullum, Sydereo quodcunque sub aethere cernis,  
 Te trahet a *Sponsa Sponse* jugande tua.  
 Nec, quid consultant *Iuno, Mars, nec quid Apollo,*  
 10 Te trahet a *Sponsa Sponse* jugande tua.  
 Nec cytharae flectens strepitu delphinas *Arion,*  
 Te trahet a *Sponsa Sponse* jugande tua.  
 Nec Thrax omne trahens amnes cum montibus *Orpheus,*  
 Te trahet a *Sponsa Sponse* jugande tua.  
 15 Nec quoque Calliope Divumque hominumque voluptas,  
 Te trahet a *Sponsa Sponse* jugande tua.  
 Nec, (quod et exopto) adversum, non atque secundum,  
 Te trahat a *Sponsa Sponse* jugate tua.  
 Nec crucis o spargens *Myrrhae* sapor instar odorem,  
 20 Te trahat a *Sponsa Sponse* jugate tua.  
 Nec sit tanta rei cujusdam dulcis imago, ut  
 Te trahat a *Sponsa Sponse* jugate tua.  
 Nec, si vel vastum quisquam promitteret orbem,  
 Te trahat a *Sponsa Sponse* jugate tua.  
 25 Nec LIBITINA nisi, vel quicquam pallida MORTIS  
 Te trahat a *Sponsa Sponse* jugande tua.  
 Cernis in indomiti quantam vim ferro Adamantis;  
 Tanta sit et vestro vis in amore sita.

Q. animitus precatur  
 JACOBUS LOTICHIUS, Rig. Livon.

19. Adr: Jacobus Balccius et Anna Corfinia – Aut: Hermann Wulfrath (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Prolixo versu taedas ornare jugales*  
*Vellem, sed tempus scribere multa vetat.*  
*Sufficiant igitur vota haec, doctissime Sponse,*  
*Qvae bonus accipias, fautor amice, precor.*  
 5 *Sis felix. JACOBÉ, tua cum conjuge felix,*  
*Conjugium faciat pax, amor, atque fides.*  
*Respondens vestras conjungat copula mentes,*  
*Sit sine lite domus, non sine prole torus.*

συγγαίρων appon.  
 HERMANNUS WULFFRATH Junior  
 Stralsund. Pom.

20. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas /.../ Brigittae de Härligztorp etc. /.../ Laurentii Jonae Ållenskiöldz, /.../ relictæ viduae, quæ anno /.../ 1637. circa ferias Paschatos, /.../ occubuit; cujusque exuviae circa festum Michaëlis, anno eodem, in /.../ templo Wingh in /.../ provincia Wallenhäradh, illatae sunt, in Regia Academia Gustaviana, quæ Dorpati est /.../ die 13. Octobris, anno 1638. aeternitati consecrata ab Erico Haquini Bobergio, W.Gothia Sveco. – Dorpati, 1638: Typ. acad.)

UUB, SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo Dn.*  
*PERORANTI.*  
 ERICUS HAQUINI BOBERGIUS:  
*Per Anag:*  
 QUI EGI, CHARUS REBUS INIBO.



*Qvi peragenda EGI; cum Christo foedus INIBO:  
SIC CHARVS REBVS foedus INIBO sacrum.*

Quod anim. appre.  
LAVRENTIVS LV DENIVS,  
J. V. D. et Prof.

21. ADR: Carolus Valeriani – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in felix novi anni auspiciu; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 25. die Januarij, anno 1638. publice ac memoriter habebat Carolus Valeriani Nycopensis. – Dorpati, 1638: Typ. acad.)

SKB, Växjö LB, [UUB, Tartu UB]  
GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.

*CAROLVS VALERIANI:*

*Per Anag.*

*ILLA ARS O VNI CVRAE!*

Pallados o Artes, felici tincta lepore:  
Corda creant, et voce Bonos, animoque Beatos  
Fingunt; et dotes alto cum pectore jungunt.  
Pallados O ILLA ARS VNI tibi, *Carole*, CVRAE,  
5 Dum dociles anni, prima et florentior aetas.  
Sit faustum et felix, Christo Duce et Auspice Christo,  
Pallados O ILLA ARS maneat tibi, *Carole*, CVRAE.

Quod ap.  
LAURENTIVS LV DENIVS Ph. et J.V.D.  
et Professor.

22. ADR: Carolus Valeriani – Aut: Isacus Sicrenius (cf. 21) SKB, Växjö LB, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

*Ingenium felix, mi Carole docte, Prometheus  
Finxit, et acre tibi de meliore luto.  
Haud tibi deficiet, Sophiae, Themidosque supellex,  
Nec facundia, nec Martis et Artis opus.  
5 Armaque dum lustras Demosthenis, ipse disertus  
Omnibus aeternum, CAROLE, charus eris.*

Moris et amoris ergo apposuit  
M. Isacus Sicrenius Holm.

23. ADR: David Erdmann – Aut: Guilielmus Ulricus (Felicem Abitum, /.../ Davidis Erdmanni, Pomerani, SS. Th. studiosi, /.../ e Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ in Curlandiam 12. Januarij anno 1638. euntis, /.../ prosequuntur Musae Dorpatenses. – Dorpati, 1638: Typ. acad.)

LAB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

DAVID ERTMANNUS

*Per ἀνάγραμ:*

VIN' DETUR; MANDAS.

Vin' detur nostra a Musa, Doctissime, curtum  
Carmen, Amice, tibi? Certe vis; namque subinde  
Dulces Amicitiae veteri pro foedere nostrae  
Mandas. Vellem equidem, sed vix permittit id ipsum  
5 Officij ratio. Hinc pro Carmine suscipe Votum:

*Felix sit tibi iter, tibi sit mutatio felix!  
Sitique locus foelix; sint omnia fausta! Valet!*

Ita voveo  
GVILIELMUS ULRICUS  
Junior, L.L. Studiosus.

24. Adr: David Erdmann – Aut: Jacobus Balccius (cf. 23)

LAB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

An quid Amicitiae sit foedere dulcius, actum  
Tecum, ERDMANNE, quod est, dulcis Amice? Nihil.  
A nobis ergo dum tu discedis: ego usque  
Contristor: tristis corde dolente gemo.  
5 Optarem mecum per secula longa maneres;  
Cresceret optato sic mage Amicitia.  
Verum te Deus Omnipotens vocat: ipse precabor  
Aeternum Valeas: sis memor atque mei.

Ita app.  
JACOBUS BALCCIVS  
SS. Th. Stud. Gryphswald. Pom.

25. Adr: David Erdmann – Aut: Johannes Brüggeman (cf. 23)

LAB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Eheu! fama refert, ERTMANNVM linquere velle  
Moenia DORPATI; merito mea lumina flexu  
Torpent tristifico: sed si Divina voluntas  
Abducit, nostro laetemur jugiter aevo.  
5 Et pia vota precemur ei: de pectore vota  
Promo, ERTMANNE, tibi, Superiorum Numine felix  
Hic abitus tibi sit, tibi sit longaevaeque vita.*

Honoris ac fraterni amoris ergo  
haec paucula adjecit  
JOHANNES **Brüggeman**  
Curlandus.

26. Adr: David Erdmann – Aut: Bartholomaeus Hillius (cf. 23)

LAB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*DAVID EERTMANNUS:  
δ' Αναγράμματος,  
ANNUM DIU DETERAS.*

Qvi dedit aetatem, bona qui tibi maxima praebebet  
ANNUM DIU det DETERAS.  
Dumque capis celerans iter hoc, dulcissime Frater,  
ANNUM DIU jam DETERAS,  
5 Atque DIU vigeas: sit quovis tempore Summi  
Praesens Jehovae Dexteræ.

Ita Amico ac Fratri suo summopere  
dilecto gratulabatur  
BARTHOLOMAEUS HILLIVS

27. Adr: David Erdmann – Aut: Christophorus Michael (cf. 23)

LAB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Nos igitur relinquens VATEM comitaris euntem  
 Sanctum, et nunc optas vertere, Frater, humum!  
 O praedulce meum Decus! o ERTMANNE süavis<sup>89</sup>  
 Quo tendis? mecum Frater amande, mane.*

5 *Qui mihi Theseo modo junctus amore fuisti,  
 Discedens, inquis: dulcis Amice, Vale.  
 Vivere suave fuit Mecum, carissime Frater,  
 Pars animae, Tecum vivere suave fuit.*

10 *Absens ast memori Frater Tu in pectore Fratris,  
 Haec fragilis donec vita manebit, eris.  
 Redde: vicem quaeso faveat TIBI Jova Davidis,  
 Ejus et auxilio tempus in omne Vale.*

His Fratrem dimittit pyladeum  
 Christophorus Michaël  
 Frosa Halberst. SS. Th. Studios.

28. Adr: David Erdmann – Aut: Johannes Schlechter (cf. 23)

LAB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

*Ergo profecturus, Frater, Curlandiae in oras  
 Tendis; Dorptiaci linquis et arva soli.  
 Ah! quoties, Frater, nobis quae gesta recordor.  
 Multa hic fraternis seria mista jocis.*

5 *Ah! licet hinc abeas; tamen hic Schlechterus amantis  
 Fratris inoblito<sup>90</sup> nomina corde geret.  
 Quod restat, fausto discedas sydere, Frater;  
 Angelus ipse DEI sit comes atque viae.*

Ita abeunti Fratri vovebat  
 JOHANNES Schlechter  
 Riga-Liv.

29. Adr: David Erdmann – Aut: Bernhardus Thesaurus (cf. 23)

LAB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

*Ah quid fama refers, nosterne Ertmannus abibit  
 Hinc procul in Terram quo sua fata trahunt.  
 Tu studiosa cohors, et vos retinete puellae  
 Davidem vestrum, vos retinete rogo.*

5 *Conqueror at frustra; Frater quia deseris hic nos  
 Voveo corde Tibi,<sup>91</sup> quo bene cedat iter.  
 Sis memor atque mei, maneat fraternus amicus  
 Sic quoque ego semper fidus amicus ero.*

Animo ex fraterno  
 apponebat  
 Bernhardus Thesaurus  
 Repp. March.

30. Adr: David Erdmann – Aut: Ludolphus Joachimus Bussius (cf. 23)

LAB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

<sup>89</sup> süavis R metri causa

<sup>90</sup> in oblito R: inoblito corr

<sup>91</sup> Voveo corde Tibi R in Corde Tibi voveo calamo correctum; in marg. NB Corrig<> est

NOBILEMITOVIUMADT<sup>92</sup>  
 OBILEMITOVIUMADTE  
 BILEMITOVIUMADTEF  
 ILEMITOVIUMADTEFE  
 5 LEMITOVIUMADTEFES  
 EMITOVIUMADTEFEST<sup>93</sup>  
 MITOVIUMADTEFESTI  
 ITOVIUMADTEFESTIN  
 TOVIUMADTEFESTINA  
 10 OVIUMADTEFESTINAM  
 VIUMADTEFESTINAMU  
 IUMADTEFESTINAMUS  
 UMATTEFESTINAMUSA  
 MADTEFESTINAMUSA  
 15 ADTEFESTINAMUSA  
 DTEFESTINAMUSA  
 VET  
 TEFESTINAMUSA  
 VETO

NOBILEDORPATUM  
 OBILEDORPATUMP  
 BILEDORPATUMPA  
 ILEDORPATUMPAN  
 LEDORPATUMPANC  
 EDORPATUMPANCR  
 DORPATUMPANCR  
 ORPATUMPANCRAT  
 RPATUMPANCRATI  
 PATUMPANCRATIC  
 ATUMPANCRATICE  
 TUMPANCRATICEV  
 UMPANCRATICEVA  
 MPANCRATICEVAL  
 PANCRATICEVALE  
 ANCRATICEVALEA  
 NCRATICEVALEAS.

Ludolphus Joachimus Bussius,  
 Danneberga-Lunaeb.

31. Adr: Martinus Nicolai Faxelius – Aut: Andreas Laurentii (Disputatio philosophica de natura elementorum in genere: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ Petri A. Schomeri, /.../ publicae censurae submittit Martinus Nicolai Faxelius /.../ author et resp. /.../ ad. d. < > Augusti, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Ornatissimo et Praestantissimo Domino*

MARTINO FAXELIO,

amico et conterraneo svavissimo, Materiam  
 de primis Mixtorum principijs, eorundemque Affectioni-  
 bus publicae disputationi subjicienti;

*Sunt quos oblectat, vesani Martis imago,  
 Sunt quos delectat, vestiri tegmine membra:  
 Sed, MARTINE, tuis melius vis rebus adesse,  
 Dum satagis mentem castis addicere Musis.  
 5 Sic gaudent alij sacros pervolvere libros,  
 Sic cupiunt alij tenuisse volumina juris,  
 FAXELIOque placet Physicas pernoscere causas.  
 Fortis es in studiis: Sic pergas, praemia fortis,  
 Lausque decusque tibi advenient in secula multa.  
 10 Omnipotens rerum Dominus moderator Olympi  
 Confirmet Musas. Pergas tu insistere coeptis.*

In perpetuae recordationis argu-  
 mentum gratulabatur  
 Andreas Laurentii Nycop.  
 Sudermannus.

32. Adr: Jacobus Friedenreich – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in salutiferam passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, /.../ postridie Parasceves

<sup>92</sup> *Mitovium* R pro *Mitovia* (cf. Graesse, Eggers) analogiae et metri causa

<sup>93</sup> *FMITOVIUM* R : *EMITOVIUM* corr

<24.3.> anno 1638. publice /.../ recitabat Jacobus Friedenr<e>ich /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.)  
SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Nobiliss. et Doctiss. Dn. PERORANTI.*

**JACOBUS FRI EDENREI CH**

*Per Anag.*

**SIC BEOR HIC VNA RE, FIDE.**

*Eva parens, vetitum decerpserat arbore pomum;  
Concretum fluit hinc exitiale malum.*

*Iam Crucis erecta producitur arbore germen  
Vivificum; corpus, Christe cruenta, tuum.*

5 *Conciliatoris Christi jam corpus apertum est,  
Vt mihi perpetuo gratia fonte fluat.*

*Condisco Christum fido supponere cordi;  
SIC BEOR HIC VNA RE, potiore FIDE.*

Quod animitus p.

LAURENTIUS LUDENIUS J.V.D. et Professor.

33.Adr: Jacobus Friedenreich – Aut: Jacobus Balccius (cf. 32)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Sic inter terram Christus, sic inter Olympum  
Pendet, et instanti morte peremptus obit!*

*Scilicet et terram coelo conjungit, et omnes  
Peccati tristes mole gravante vocat;*

5 *Voce vocat. Pandit sua brachia: Dextera pulchre  
Judaeos, Gentes brachia laeva vocant.*

*Est totum spinis et virgis corpus apertum,  
Et Christi Cordis viscera tota patent.*

10 *Viscera tota patent; Per rerum secula felix  
Qui Christum assequitur Candidiore fide.*

*Nobile delictum Musarum, Docte JACOBE,  
Hoc docta narras dexteritate bonum.*

*Perge velut pergis, doctis narraque loquelis,  
Quod superae pandat se penetrabile domus:*

15 *Perge, velut pergis: Christo Duce et Auspice Christo,  
Sicce tuum toto surget in orbe decus.*

Quod animitus p.

JACOBUS BALCCIIUS Gryphis. Pom. Scho.

Reg. Trivialis Conrector.

34. Adr: Jacobus Friedenreich – Aut: Adrianus Verginius (cf. 32)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Aedibus in sacris quoniam Pastoris ab ore  
Vndique jam Christi Passio sacra fluit;*

*Mi JACOBE, tibi vitio quis vertat, acerba  
Quod tua de Christi morte loquela fluit?*

5 *Certe: sancta DEI quia volvis vulnera, vitae  
Hujus et aeternae praemia summa feres.*

*Quotidiana igitur, Frater, tua lectio, Christi  
Passio sit; namque hinc vita salusque tua;*

*Devenerans Christum, Christi splendebis honore:*

10 *Sis memor o Christi, sic memor ille tui.*

Ex sinc. affect. app.

ADRIANUS VERGINIUS Iul. Pom. SS. Th. Stud.  
et Scholae Sen. Dorp. Moderator.

35. Adr: Jacobus Friedenreich – Aut: David Cunitius (cf. 32)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*In Orationis Auctorem*

Εἶ καὶ ἐπισταμένως φάτ' Ἄνῆρ ἀγνόστis Ἄοιδὸς  
ἐν βίβλω κανόνων τοῦ βίου ἐυσεβέος.  
Σπάρτην ἦν ἔλαχεν, πιστῶς κοσμεῖτω ἕκαστος  
Ἀιτήσας δύναμιν παρ κρατεροῖο θεοῦ.  
5 τοῖς πονέουσι θεὸς παραγίνεται οὐδὲ ἀέργοις,  
οὐδέ τι νόσφι πόνου πώποτε ἐντυχέει.  
Τούνεκα τουτο ἐπεὶ ρέζεις νῦν, δώσει ἀμοιβήν  
Σαυτῶ ἐν καιρῶ παμμεδέων ὁ θεός.

*In Orationis Materiam.*

Foecunda Adami secula Criminum  
10 Heu! inquinaverunt adeo Genus  
Mortalium, ut vis nulla posset  
Sive preces reparare damnum.  
Toto orbe Coeloque unus HOMO–DEUS  
Delicta tum cuncta immeritus luens,  
15 Virtute formidatus Hostes  
Sangvine, Morte Crucisque vicit.  
Haec sancta, dura haec praelia dum Pius  
Hoc Passionis tempore disseris,  
Nae tu Beatus! nae perennis  
20 Gloria, Famaque Te manebunt!

τιμῆς ἔνεκα deproperavi  
David Cunitius F. P. M. St.

36. Adr: Magnus Gabriel de la Gardie – Aut: Ericus Matthiae (Gloriae /.../ Magni Gabrielis de Lagardie, Comitibus de Lecköo, /.../ Academiae Ubsaliensis prot. civis /.../ in felix novi a nato Christo 1638. anni auspiciis, /.../ consecratum ab Erico Matthiae Roslagio, philosop. candidato. – Dorpati, 1638: Typ. acad.)

SKB, Växjö LB, [Tartu UB]

ENCOMION

*Heroum Sangvis, Divum Genus, Inclyta Proles,  
Antiquo splendore COMES, Praenobilis ortu  
GARDIACVM, late Sveonum per Regna Potentum:  
Chare Nepos, celsa BRAHAEA ab origine nate,  
5 Ingenio et Genio Illustris, Virtute coruscans  
Omnigena, auricomi cura optatissima Phoebi  
Ardua spes Patriae, titulis excelsae Parentis;  
HEROIS summi, meritis memorande Triumphis:  
Salve, o Mecoenas magne, o Nutricie salve.  
10 Quem tibi fortunet Trinuna et summa Potestas,  
Annus adest Novus, et cursus Hyperione natus  
Absolvens, iter assvetum properanter anhelans;*

Supremi memorare jubet benefacta Tonantis,  
 Devotaque tibi felicia mente precari.  
 15 *Gloria, celse COMES, priscis Tibi contigit annis,*  
*Contigit, invicta est cui vis, coelestis origo:*  
 Est stirps antiquis deducta ab origine Divis,  
 Estque, datore Deo excelso, Virtutis avitae  
 Ingens Majestas, sunt magna encomia laudum  
 20 Pulcrarum, per mille gradus seriemque Virorum  
 Ad magnum revoluta Patrem, qui grandibus actis  
 Acta Atavum superat, titulis ingentibus auctus.  
 Innumeris retro seclis, per grandia facta,  
 Atque per egregios (virtutum munera) cultus,  
 25 GARDIACI gentile Decus titulosque pararant.  
 GARDIACUM perstant aeternis fulta Triumphis  
 Atria, imaginibusque suis splendentia fulgent,  
 Stat numerosa manu descriptis gloria fastis.  
 Tantus honos pulcris meritis insigniter auctus,  
 30 Gradivi ut Martis sint fulmina celsa Nepotes,  
 Qui pietate graves meritisque et fortibus ausis,  
 Belligerante manu meruere insignia; honorem  
 Baronum Comitumque, Illustria lumina Terrae.  
*Gloria, celse COMES, priscis Tibi contigit annis,*  
 35 *Contigit, invicta est cui vis, coelestis origo:*  
 Bellipotens Avus ipse tuus, fortissimus Heros,  
 PONTUS GARDIACUS validis praestrenuus armis,  
 Impavido postquam duxisset acinace turmas  
 Sveconum, et coesum vicisset soepius hostem,  
 40 Virtutem invicti Martis per signa probatam,  
 Rex Sveonum, quo non alius sublimior actis  
 Ter denis ultra et Populorum insignibus utens,  
 Aequus honore colit praeclaraque praemia, gestis  
 Accumulans: Titulos dat magni et jugera campi.  
 45 *Gloria, celse COMES, patriis effloruit annis,*  
*Contigit, et magna est cui vis, coelestis origo.*  
 Est, tuus aeternis Pater Illustrissimus actis,  
 Pace Ingens, ingens belli Virtute JACOBUS  
 Heros, atque Auratus *Eques*, summique *Senator*  
 50 Regis Hyperborei primus, Sveonum *Induperator*  
*Militiae, Praesesque Fori*, de Marte vocati  
 Et, qua se extendit florens Ublandia *Judex*.  
 Nondum bis denos Heros expleverat annos  
 Magnanimus, campo graditur cum mille vocatis  
 55 Militibus Praefectus; adest excelsior ausis.  
 Et quanquam meruit nil non optabile summi.  
 Celsa Viri virtus; tamen et discrimina rerum  
 Diversa expertus vegeta fervente juventa:  
 Scilicet invicta toleraret ut omnia mente,  
 60 Militiam et grave Martis opus; sic inde futurus  
 Vicinae Victor Gentis, terrorque furentis.

Non secus atque gravi accrescit sub pondere palma  
 Quoque magis premitur sese erigit altius instans:  
 Sic quoque GARDIACI virtus miranda vigebat  
 65 Acta per adversas sortes, per vincula iniqua:  
 Ardua que incrementa capit, vicinius astris  
 Attollens erecta caput, sublimia coeli  
 Contingit; quam non dubio violentia casu,  
 Non fortuna suo potis est evertere lapsu.  
 70 Hinc toto orbe Heroa Virum per secula narrant,  
 Nullius auspiciis dicunt melioribus agmen  
 Eductum, et nulli stant plura Epinicia templis.  
 Undique gestarum monumenta ingentia rerum  
 Stant, qua se immensis tollit Moschovia terris;  
 75 Stant, quondam qua magna patet Novogardia, quaque  
 Ingria se extendit, simulatque Carelia Tellus:  
 Stant, qua Duna suas volvit velocior undas  
 Et qua Embecca educit aquas, qua Nerva recedens  
 Effluit, et qua alto ruit in mare Vistula fundo.  
 80 Sunt multae ambages operum; res digna triumphis  
 Innumeris, quas si versu comprehendere coner,  
 Deficiam ingenio tantae sub pondere molis,  
 Deficietque dies vel tardo longior aevo.  
*Gloria, celse COMES, patriis effloruit annis;*  
 85 *Contigit et, magna est cui vis, coelestis origo:*  
 Cum Pater in tantorum operum fervoribus iret  
 Martem animo spirans, Genitrix placidissima Divum  
 Jam se Virtute insinuat per viscera Divi  
 Herois, tacitisque favens his vocibus usa est.  
 90 Haud fas, o Heros, orbum decedere: dulcis  
 Est mihi virgineus chorus, atque ille aemulus astris;  
 Delige, quae placeat, qua non formosior ulla,  
 Mille procis ipsique Jovi dilecta Virago,  
 EBBA COMES, comitum generoso e sanguine BRAHE,  
 95 Diis genita, et genitura Deos per secla potentes:  
 Ipse dedit Genius, quod ames, lumenque Juventae  
 Purpureum, et laetos oculis afflavit honores:  
 Mite piumque habet ingenium, sub pectore regnat  
 Doctrinae coelestis Amor, Pietasque Fidesque.  
 100 Claret Avumque Atavumque alto praenobilis ortu,  
 Praecipue vero meritisque opibusque Parentis  
 Wisingsburgiaci Comitibus, qui fortibus actis  
 Justitiaque pari Regni altus Nestor habetur.  
 Sic ait: Ac blandum placidumque bibebat amorem  
 105 GARDIACUS, statuens constanti in pectore sedem  
 Connubio stabili tedisque jugalibus optat.  
 Nec mora: sed sanctos templis indicit Honores,  
 Magnificoque parat convivium regia luxu.  
 Conveniunt Superi: splendet circum aedibus ingens  
 110 Argentum: positae auri vis plurima mensis:



Convivae gemmis auroque ostroque refulgent,  
 Queis laeta exsiliunt sublatis corda triumphis.  
 Hos inter, tanquam sublimia Cynthius astra,  
 Emicuit sancta Rex Majestate, Monarcha  
 115 Maximus, aeternum Martis Jubar, Entheus Heros,  
 Pace ingens, ingens bello GUSTAVUS ADOLPHUS:  
 Illustres animae, Proceres, quam grandibus, inquit;  
 Polleat insignis meritisque fideque JACOBUS  
 GARDIACUS, scitis: nunc hunc virtutis avitae  
 120 Illustre Exemplar statuam, COMITEMque creabo:  
 Huic Leckö in feudum dabo, quo spatiosior agris  
 Vix alius Regni Comitatus, et amplior ullus,  
 Pluribus aut habitata plaga est cultoribus; inquit.  
 Gratantur PROCERES, laetisque applausibus astant:  
 125 Mox Cytharae choreis, et tympana plausibus instant,  
 Celsa tubae feriunt festivis cantibus astra.  
*Gloria, celse COMES, patriis effloruit annis;*  
*Contigit et, magna est cui vis, coelestis origo:*  
 His ita Magnifico solenni et more peractis,  
 130 Ibat in amplexus thalami Sponsa; ipseque Phoebus  
 Auroram citius pandit, sed lumina condit  
 Serius, exspectans foecundi pignus amoris.  
 Sic aliquo visus cum tempore tardius ire  
 Phoebus, jam natum quaevis ad maxima, Gnatum,  
 135 Intuitu praesente videt, gestitque videndo;  
 Ridet ager, placide coelestis ridet Olympus!  
*Contigit, o generose COMES, coelestis origo;*  
*Cui par praeteritis Tibi Gloria floruit annis:*  
 Cum jam, dante Deo, vitali luce potitus,  
 140 Utrique exiliunt praecordia celsa Parenti  
 Pertentantque animos illustria gaudia, lucem  
 Sacratamque Deo, superest dum vita, celebrant.  
 Et pulcra augurio decorant cunabula Vates,  
 Plaudite, io, cantant; votum Lucina clientum  
 145 Audiit, ut Patriae ostendunt solamina Coeli.  
 En optata diu coelo dignissima Proles!  
 O spes certa, Puer, Patriae, ac utriusque Parentis!  
 Prospera quaeque Tuo nobis spondemus ab ortu,  
 Grandior ut fueris studioque Togaque Sagoque  
 150 Oscula libabunt Svecis optanda Gothisque  
 Libertas et Relligio, Pietasque Fidesque.  
 Non aberant; sed erant circum cunabula, Divae  
 Laeticos duxere choros, Astraea Themisque.  
 Ante pedes Fortuna favet; Pallasque Thetisque  
 155 Ad caput, atque hilari distendunt gaudia motu:  
 Stant ad utrumque latus festis modulatibus omnes  
 Intentae Charites; Phoebusque arridet ab alto:  
 Libertas et Relligio Pietasque Fidesque  
 Oscula delitiosa ferunt gremioque triumphant.

- 160 Gestit adestque ardens Divini nuncia cultus  
 Relligio, ac ulnis Natum gerit, oscula figens,  
 Emundatque fera primorum a labe Parentum,  
 Extergens maculas undaque auraque salubri,  
 Nempe salutifero, Baptismatis amne, lavacro.
- 165 *Contigit, o Generose COMES, coelestis origo,*  
*Haud unquam moritura Tibi sacra Gloria surgit.*  
 Quam primum licuit teneram formare loquelam,  
 Mox aderant animi Cultores atque Magistri  
 Seu patrio velles cultos affamine Svecos
- 170 Alloquier; seu Germanae dare flumina lingvae;  
 Gallosve affari; pulcra sive arte Latina,  
 Aut alio ore loqui; fuit ut magna Ingenij vis,  
 Continuo proferre docent minimoque labore.  
 Cum paulum a teneris egressa viresceret aetas,
- 175 Gallia, Roma tuo, Germania, Svecia, mirum  
 Ore fluunt uno dulces jaculante lepores.  
 Inseditque Evangelium bene sensibus imis,  
 Inseditque animis annos Sapientia vincens.  
 Notitia Historiae insedit, quae climata mundi,
- 180 Quae loca, qui Reges, Regum quae jura Ducumque,  
 Qui populi; docili sic singula pectore nosti.  
 Multam Doctrinae segetem excellentis, et Artis  
 Omnis Apollineae pulcra incrementa parasti:  
 Cum belli simulachra essent subrisit ovans Mars:
- 185 Cumque exercitijs vigilares, risit Apollo.  
*O praecelse COMES, patet hinc coelestis origo,*  
*Dum nullis moritura annis rata Gloria surgit.*  
 Haec Tibi privatis cumulata est copia tectis,  
 Si sit dicendum privatim vivere, in ipsa
- 190 Vivere luce Hominum, versari alta inter et astra.  
 Aedes Holmiacae aeternum testantur Equestres,  
 Quando Parentalis praeconia maxima laudis  
 GUSTAVI MAGNI, terris super astra recepti,  
 Dicentem stupuere, oculis animisque redactis
- 195 In lachrymas, planctus, gemitus, suspiria, luctus!  
*O COMES Illustris, florens Tibi Gloria surgit:*  
 Posceret excellentis opus praenobile vatis  
 Dicere, quanta virens accessio facta, beatus  
 Dum colis Ubsalici sacrosancta sacraria Phoebi
- 200 Plura frequentando jam per spatia annua: nec fas  
 Dicere quantus Honos exinde et Gloria surgat.  
 Optatis penitus flores successibus, usque  
 Dum tam coelesti Ingenio sua pectora pandunt,  
 Pectora Virtutis plenissima scrinia et Artis
- 205 Ubsalici Patres, Arctoi lumina mundi.  
*O COMES illustris, prompte o Nutricie, salve,*  
 Hoc cape, quo penitus cuncta immortalia spiras  
 Vultu clementi, solennis carmen Honoris.

- 210 *Sic, nullis moritura annis, Tibi Gloria surget!*  
 I bene, quo tua te Virtus vocat! I bene, quoTe  
 Provocat exemplo Pater, Illustrissimus Heros!  
 I felix! sis pace ingens, invictus et Armis  
 Fias; Castor equo; Pollux pede; Pectore Mavors,  
 Tullius eloquio, lingvae decuplice Nestor.
- 215 I felix! omni referes meliora metallo  
 Secula Hyperboreo factis ingentibus orbi!  
*Ingens, o COMES Illustris, Tibi Gloria surget!*  
 Auspicij Novus Annus eat felicibus! Euge  
 Dexter eas, sis o seclis aequaevus et Annis!

37. Adr: Johannes-Günterus Gerlachius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de testamentis: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est 30. die Januarij, anno 1638. publice /.../ habebat Johannes –Güntherus Gerlachius, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.) SKB, H, [Tartu UB] GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo*  
*Dn. PERORANTI.*  
 JOHANNES GÜNTERUS GERLACHIUS:  
*Per Anag.*  
 OH! TV INSVRGENS, NAE LEGI CHARVS.

*TV, OH! studio INSVRGENS, NAE LEGI CHARVS: Amicis*  
*INSVRGAS studiis; CHARVS habendus eris.*

Quod app.  
 Laurentius Ludenius Holsat. PH. et  
 J. V. D. et Professor.

38. Adr: Johannes-Günterus Gerlachius – Aut: Adrianus Verginius (cf. 37) SKB, H, [Tartu UB] GRATULATIO

Guttare facundo quod Testamenta profaris  
 Bartolus ut posuit, laudibus inde clues.  
 Pergito, jura tibi fiant ut nota labore  
 Crebro, perpetuis laudibus atque clues.

f.  
 ADRIANUS VERGINIUS Julino Pom.  
 SS. Theol. Studiosus.

39. Adr: Johannes-Günterus Gerlachius – Aut: Hermannus Schwemlerus (cf. 37) SKB, H, [Tartu UB] GRATULATIO

JOHANNES GUNTHERUS GERLACHIUS.  
*Per Anag.*  
 En gerar! non usu jus gelascit.<sup>94</sup>

*Inclytæ Juridicæ penetras qui templa Themistos*  
*Eunomiae pullus; farier ore vales.*  
*EN ego Ludenio GERAR a Doctore! GELASCIT*

<sup>94</sup> Anagramma non recte constructum

*NON USU JUS: haud Dorpata jure caret.*

HERMANNUS SCHWEMLERUS Cölleda  
Thuringus, L L. Stud.

40. Adr: Johannes Günterberch – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in felix novi anni auspici-  
quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 10. die Januarij anno 1638. /.../ publice  
enarrabat Johannes Günterbech, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.) Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Nobilissimo atque Doctissimo*  
*Dn. PERORANTI*  
JOHANNES GVNTERBERGIVS,  
*Per Anagr.*  
INGENS IN ORBE TV VRGEAS.<sup>95</sup>

*Sit faustum et felix, quod agis: Duce et Auspice Christo,*  
*INGENS IN ORBE TV VRGEAS!*

Quod animitus precabatur  
LAURENTIUS LUDENIUS J.V.D. et Professor.

41. Adr: Johannes Günterberch – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 40)

Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Quid Mons; quid Vallis; quid Promontoria; quid Fons;*  
*Quid Collis; Rupes; quid Lapis et Scopulus:*  
*Haec tua jam docte depingunt verba diserta,*  
*Sic Pitho totum te Dea servat amans.*  
5 *Quid Frutices; quid et Herba; quid Arbor; quidque Metallum;*  
*Quid Beryllus; quid Chrysolithus; quid Onyx:*  
*Omnia depingunt docte tua verba diserta,*  
*Et Pitho totum te Dea servat amans.*  
*Te Dea servat amans, a te servata et amata*  
10 *Te fovet, et lingvae plectra soluta facit.*  
*Plectra soluta facit, solers quia disseris arte,*  
*Sic Svadae solers officio frueris.*  
*Hoc age; Melliferas Svadae sectare latebras:*  
*Hoc age; nec pigeat poeniteatque oneris.*  
15 *Pithus pasta thymo labri modulamine lingua*  
*Tot tenet en mellis, quot tenet Hybla favos.*

Amicitiae contestandae C. properan-  
ter promebat  
Jacobus Lotichius Riga Livonus.

42. Adr: Bothvidus Jonae Hellenius – Aut: Laurentius Ludenius (Encomion Regiae Academiae  
Gustaviana, quae Dorpati est /.../ a /.../ Gustavo Adolpho, Svecorum, Gothorum, Vandalorum /.../  
rege; /.../ fundatae; et 15. die Octob. anno 1632. /.../ introductionis natales celebrantis, quod ipsum, /.../  
in /.../ Dorpati /.../ 12. die Junij, anno 1638. decantabat Bothvidus Jonae, Hellenius, /.../ - Dorpati,  
1638: Typ. acad.) UUB, SKB, H, Tartu UB

GRATULATIO

*Praestantiss. et Humaniss.*  
*Dn. PERORANTI.*  
BOTVIDUS JONAE HELLENIUS.

<sup>95</sup> Anagramma non recte constructum

*Per Anag.*  
TV, O BONE JHESU, ILLA VIDENS.

*Regium opus, ditare bonis Academica tempe:  
O BONE TV JHESV, facta bona ILLA VIDENS!  
Perge, opus o DIVI GVSTAVI dicere ADOLPHI;  
Ille Hercules, Magnus Martis et ARTIS honos.*

Ap.  
LAURENTIUS LUDENIUS, J.V.D. et Prof.

43. Adr: Bothvidus Jonae Hellenius – Aut: Johannes Eriici (cf. 42) UUB, SKB, H, Tartu UB  
GRATULATIO

Quod peperit virtus vivit post funera nomen,  
Nec tumulus meritam sepelit cum corpore laudem.  
Facta Ducum vivent, quae non oblivia longo  
Vincent; ast animos hominum mentesque perurunt.  
5 Sic vivit factis noster GUSTAVUS ADOLPHUS,  
Cujus nota viget terrarum fama per orbem,  
Cui rebus gestis quaesita est gloria multis.  
Militiae quisquam vix calluit aptius artes,  
Pluraque nemo suis commisit praelia signis:  
10 Belliger unde fuit merito sic dictus Achilles.  
Non tamen ingenuos Musarum sprevit amores,  
Sed celebres magno dignatus honore Camoenas.  
Dante Deo, postquam Dorptae data cura regendae  
Hic erecta fuit Clarijs ACADEMIA Muisis.  
15 Barbaries dedit acta fugam, dulcesque Camoenae  
Sanctis auspicijs posuere cubilia laeta.  
Quare magnificis extollent laudibus omnes  
GUSTAVUM MAGNUM, quem semper in orbe canemus,  
Regalis veluti pietasque fidesque meretur.  
20 Hoc dum cognoscit BOTVIDUS frater amandus,  
(Cognitus est multis mihi pridem rebus Amicus)  
Concipit et secum docta meditatur arena  
Ut sanctae Regis referant Encomia laudes.  
Gratulor inde tibi, sic, Christo praeside, pergas,  
25 Ingenium et perges doctas efferre per artes.  
Perge bonis avibus, felici sidere perge,  
Cum patriae fructus solves aliquando decentes,  
Tunc Ars fulgebit tua, tunc remanebit honosque.

Amico et sympatriotae fraterne colendo  
gratulabatur  
Johannes E. Stregensis, Svecus.

44. Adr: Bartholomeus Hillius et Ananias Romanus – Aut: Laurentius Ludenius (In abitum /.../ Bartholomaei Hillii, /.../ Ananiae Romani, Pomeranorum, /.../ e Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 13. die Februarij, anno 1638. ad /.../ Academiam Regiomontanam euntium, quaevis fausta precantur amici. – Dorpati, 1638: Typ. acad.) LAB, [Tartu UB]

*BARTHOLOMAEVS HILLIIVS:*  
Per Anag:

PROPEMPTICON

*I HIS ALTVS: HOMO RE BVLLA.*

Sic bene te docuit Pallas Tritonia: Corda,  
 BARTHOLOMAEE, sacro tincta lepore dedit!  
 I genij ingenijque tui HIS virtutibus ALTVS,  
 Est alias HOMO RE BVLLA. Beatus eas.

*ANANIAS ROMANVS:*  
 Per Anag.  
*ANIMAS VNA ORNAS.*

5 Insignem Claria Te Pallas reddidit Arte,  
 VNA ORNAS ANIMAS qua Pietate decet.  
 Dexter abi dotes alto cum pectore junge,  
 VNA ORNAS ANIMAS qua Probitate decet.

In fel. abitum s.  
 LAURENTIUS LUDENIUS Holsat. Ph. et  
 J. V. D. In Regia Academia GUSTAVIANA  
 quae Dorpati est, Professor Juris, Oratoriae  
 et Poëseos.

45. Adr: Bartholomeus Hillius et Ananias Romanus – Aut: Jacobus Balccius (cf. 44) LAB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

*Humanissimo Dn. Bar. Hillio.*

*BARTHOLOMAEE, decus Musarum, dulcis Amice,  
 Sic procul a nostris finibus ire paras?  
 Ire paras. Fleo discessum, studiosa Iuventus  
 Flet mecum. O velles rite manere! Mane.*  
 5 *Verum est in fatis ut eas: Feliciter ergo,  
 Opto, ut eas; semper sis memor atque mei.*

Humanissimo Dn. Anan. Romano.

*ET, ROMANE, meum decus immortale, quid ergo  
 Incipis, a nostris vis procul ire locis?  
 Scilicet omnipotens rerum Pater evocat atque  
 10 Te Musarum alibi castra subire jubet.  
 I bene: sit tecum Christus, non immemor unquam  
 Esse velis nostri. Vive, Valeque bene.*

Sic animitus precabatur  
 JACOBUS BALCCIUS Reg. Scholae  
 Triv. Dorp. Conrector.

46. Adr: Bartholomeus Hillius et Ananias Romanus – Aut: Adrianus Verginius (cf. 44)

LAB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

**Gi leven Lannesmanns fahrt hen in Gades Nahmen /**

---

**Godt gefe dat gi Sunt toen Juwen mägen kahmen:  
Denckt vaken ock an mi wenn gi tau huse Sünt /  
Vnn hullt mick na aß vör Juwen Truwen Frünt.**

DN. HILLIO.

- 5 Sauliadis qualis fuit et qui Davidis olim  
Rebus in adversis inviolatus amor,  
Cum socio Pyladis conjunctio qualis Oreste,  
Mecoenas Flacco et foedere nexus erat  
Et Ciceronis erat vinclum charique Luculli  
10 Et Juvenem Nisum deperit Eurialus.  
Talis eras, HILLI, nostrae pars altera vitae,  
Praeterea et Cordis nectar amorque mei.  
Mille dies utinam licitum mihi vivere tecum!  
Vox tua sed resonat, dulcis Amice, Vale.  
15 Tu Patriam repetis, tulit hoc Divina voluntas,  
In Patriam quae te, BARTHOLOMAEE, vocat.  
Non obsto, prudens quoque pectore poscit Ulysses,  
Fumum de patrijs posse videre focus.  
*Nam natale solum mira dulcedine cunctos*  
20 *Ducit, et immemores non sinit esse sui.*  
Vinculum amicitiae tamen haut discessio rumpet,  
Namque absens etiam verus Amicus eris.  
Te Raphael (comite hoc via sit tutissima) ducat;  
Ut Tobia suis, sic revehare tuis.  
25 Me quia magnus amor Patri conjunxit et usus  
Et favor, ejus non immemor esse queo.  
Dic bona verba; meo Matremque Patremque saluta  
Nomine dilecto laeta precare patri.  
Accipe et haec, Frater, fratris monumenta fidelis:  
30 Sisque memor semper, BARTHOLOMAEE, mei.

Haec vovit ex animo  
ADRIANUS VERGINIVS  
Julino-Pomeranus, SS. Theol. Stud.

47. Adr: Bartholomeus Hillius et Ananias Romanus – Aut: Petrus Langius (cf. 44) LAB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

- Qvae mens, BARTHOLOMAEE, tibi? cur linquere terram  
Livonum gestis? *Prussia* terra placet.  
Quos etiam sentis stimulos? ANANIA o amande,  
Livoniam linquens? *Prussia terra placet.*  
5 Iste locus placuit vobis cum strata viarum  
Ingredere mini, erat *Pregelianus* amor.  
Sacris Aonijs dedit otia *Pregela*; Musae  
Vos Fratres studijs excoluere suis.  
Hanc igitur terram merito praeponite multis,

10 Hunc celebrate locum, Pieriumque chorum.  
Ite bonis avibus, crescatque cupido studendi:  
Ingenio magni crescite, vota sient.

ALLUSIO AD COGNOMINA ET MORES MOMI.

**Zween Musen liebe Freund'/ zween Pallas Bundgenossen  
Von vns zu reisen weg bey sich jetzund beschlossen/  
15 Deß Griechen Weißheit vnd des Römers Tapfferkeit/  
Der Nymphen Schaar verlest/weil jhnen Lob bereit.  
Kunst/Weißheit/Tapfferkeit man allenthalben ehret/  
Wer seine Jugend Blum mit Tugend hat vermehret/  
Der ist je lobens werth/ des Momus gnagend Gunst  
20 Laßdünckel vnd Thorheit/Einbildung schlechte Kunst.  
I hr Musae Freunde beyd'/die jhr die Künste liebet/  
Denn Gott ohn Müh vnd Fleiß hieren gar nichts giebet.  
Dem Momus nur zum Trotz vnd das ihr habet Ehr/  
Der Tugend strebet nach vnd liebt' sie mehr vnd mehr.  
25 Wie es bißher geschehn; dahin jhr jetzund reiset  
Die rechte Musen Freund' man ehrt vnd zugleich preiset/<sup>96</sup>  
Welch' aber nichts verstehn doch von sich halten viel  
Den können sie wohl setzn' das Maaß und rechte Ziel.  
Glück/ liebe Brüder/ Glück/ wollt jhr von Dörpt abscheiden  
30 Zum Pregels Parnasso/ daselbst die Augen weiden  
Mit der Neun Musen Schaar/ so bleibet mir getrew/  
Euch bald zu folgen nach ich trage keinen schew.**

Seinen lieben vertrauten Freunden vnd Brüdern  
hat dieses zur glücklichen Reise billich  
geschrieben

PETRUS LANGIUS Dithmars.-Holsat.  
SS. Theol. Studiosus.

48. Adr: Bartholomeus Hillius et Ananias Romanus – Aut: David Cunitius (cf. 44)LAB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Ad suum HILLIUM.*

Doctis orte Viris, optime BARTHOLE,  
Dulcis Frater, abis jam nimium procul  
A me; dum reditum pollicitus citum  
Terra e Livonica Patri.  
5 Temet redde Tuis, o Bone, Patriae:  
Instar veris enim vultus ubi tuus  
Affulsit domui, gratior it dies  
Et soles melius nitent.  
Te Mater, Genitor, teque sororculae  
10 Votis, ominibusque et precibus vocant,  
Distentum spatiis tam procul annuis  
Dilecti Patris a solo:

<sup>96</sup> ehrt und zugleich R in ehret und hoch calamo correctum





*Ita Dn. Praeceptoris suo quondam, ut Carissimo, ita et  
fidelissimo gratulari voluere.*

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum aegro,  
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod Medicorum est  
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.  
Hanc Lyrici mentem recta pensare Poëtae:  
5 Si trutina vellem, jam non tibi scribere carmen  
Auderem, semper multum Praeceptor amande!  
Ne tamen ingratus videar, nunc mitto Poëtae  
Gnomam, et publicitus merito hos tibi concino versus.  
Ingentes primum toto tibi pectore grates  
10 Dico, quod integros me tres fere sedulus annos  
In Patria ingenuas docuisse fideliter artes,  
Moribus et rectis animum haut mollire gravatus.  
Non ego sufficio digne haec Benefacta referre;  
Nam penitus superant et opes, gratesque Volentis,  
15 Immo opibus nunquam sunt compensanda caducis.  
Corpore quanto etenim fragili praestantior est mens,  
Ars tanto magnos Auri praecellit acervos.  
Et quae praecipue res est dignissima laude,  
Quae pia Relligio, Caro qua salvarier haecce  
20 Possit, monstrasti, Sola et quae vita beata  
Fontibus ex ipsis Divino Numine plenis.  
Postquam jam trepidans Latio sermone sonaret  
Lingva mea, haut magna sine sedulitate docebas,  
Ornateque simul gnava ratione liceret  
25 Dicere et o titubans ratio; qui nostra regenda;  
Turpe quid in vita, monstrabas, quidnam et Honestum,  
Et quae praeterea potuit pia cura, docebas.  
Sed nunc quid video? dura o fortuna Noverca!  
Hunc invisam mihi fidumque piumque Magistrum  
30 Surripis, et procul hinc mittis, solumque relinquis.  
O utinam tecum fidus comes ire liceret!  
Aut precio aut precibus mecum hic retinere valerem!  
Sed quia jam frustra precibus Te flectere conor,  
Desino. Jova tibi facilis, nullius egentem  
35 Teque rei faciat, tua coeptaque cuncta secundet.  
Haec mea vota sient; Praeceptor amande, Valeto!<sup>98</sup>

Johannes Günterbergius  
Nobilis Livon.

51. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Aut: Laurentius Ludenius (Sacris Nuptiarum honoribus, /.../ Nicolai von Hövelen, ecclesiae Christi, quae Revaliae ad D. Olai templum colligitur, in verbo ministri /.../ sponsi; et /.../ Elisabethae, /.../ Henrici Njehusen, in /.../ rep. Revaliensi civis et

<sup>98</sup> *Valeto?* R: *Valeto!* corr

negociatoris /.../ filiae, sponsae; Revaliae 8. die Januarij, Anno 1638. celebratarum, gratulantur amici. –  
Dorpati Livonorum, 1638: Typ. acad.)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

M. NICOLAUS von Hövelen:

*Per Anag.*

I nunc Homo, levans levo.

ELISABETHA Niehusens.

*Per Anag.*

Ah! Leniens JHESUS beat.

*Clare Vir, egregia praefulgens mente Sacerdos,*

*Sophiae Decus, Chori Decus;*

*Veneris decus, Tori Decus:*

Crebrescunt optatae aurae, fortuna labori

5 Aspirat hic, Christo Auspice,

O prospero fato es datus!

Quid sit amabilius? quam Christum audire loquentem,

*Levans labores sublevo;*

*I nunc Homo, levans levo:*

10 Insignem quando te Pallas reddit in Arte,

*Levans labore sublevo;*

*I nunc Homo, levans levo:*

Eusebia insignem te quando procreat Arte,

*Levans labores sublevo;*

15 *I nunc Homo, levans levo:*

Insula dum nitidos advelat candida crines.

*Levans labore sublevo;*

*I nunc Homo, levans levo:*

Quando sacris dociles animas hominum imbuis armis,

20 *Levans labores sublevo;*

*I nunc Homo, levans levo:*

Quando subit certos fiducia nosse Penates,

*Levans labores sublevo;*

*I nunc Homo, levans levo:*

25 Virginis incendi dum casto poscis Amore,

*Levans labores sublevo;*

*I nunc Homo, levans levo:*

Aeterno tecum conjunx teneatur Amore,

*Levans labores sublevo;*

30 *I nunc Homo, levans levo:*

Et tu, *Virginei pulcerrima gloria coetus,*

*ELIZABETHA, candido*

*Dilecta maxime Jovi;*

Quid sit amabilius? quam sanctum audire susurrum hunc,

35 Ipsum laborem in omnibus

*Ah leniens JHESVS Beat!*

En detur Domus, intus et atria longa patescant;

Ipsum laborem in omnibus

*Ah leniens JHESVS beat!*

40 Ingenuum ipse bibit mecum NICLAUS Amorem;

Ipsum laborem in omnibus

*Ah leniens JHESVS beat!*

Consonat assensu Templum precibusque faventum;  
 Ipsum laborem in omnibus  
 45 *Ah leniens JHESVS beat!*  
*Clare Vir; egregio praeifulgens, SPONSE, triumpho; et*  
*Dilecta Sponsa candido*  
*Virago sponso perpetim;*  
 Optata eveniant animis connubia vestris;  
 50 *Levamen adsit Jhesulus*  
*Et leniendo Vos beet.*

Quod animitus prec.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et  
 J.V.D. In Regia Academia Dorpa-  
 tens. Professor Iuris, Oratoriae et  
 Poëseos.

52. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Aut: Salomon Matthiae (cf. 51)

[R Acad Dorp 1638:4]  
 EPITHALAMIUM

Sponse, decus Sophiae, decus Eusebiaeque perenne,  
 Deliciumque chori, delicumque Tori;  
*Sic sensi elicitem NICLAI candidi Amorem*  
*ELISABETHA, animis, casta Virago, tuis!*  
 5 *Protinus ut sensi, sum cordis vota professus,*  
*Trinus in hoc, dixi, regnet Amore Deus.*  
*Regnet; et aeterno socialia foedere jungat*  
*Pectora, non ullo dissocianda die.*  
*Vna Fides, Virtus et mens bene copulet una,*  
 10 *Iunctaque sint uni corda beata Deo:*  
*Sic fausto varios superabunt omine casus,*  
*Hac quibus in terris subdita vita jacet;*  
*Et Deus ipse sua Nymphos bonitate beabit,*  
*Quaecunque et praesens vita requirit erunt.*  
 15 *Addet conjugii speratam pignora prolem,*  
*Quae Matrem, blando quae vocet ore Patrem.*  
*Sic vovi; dulci vos vivite foedere juncti:*  
*Sit vobis eadem Mens, sit et una Fides.*  
*Dilecti vultus speculi sit conjugis instar,*  
 20 *Affectus alter reddat et alterius.*

Sic ex animo vov.  
 M. SALOMON MATTHIAE Orient.  
 Ling. P. Ord. et ad D. Ioh. designatus Pa-  
 stor, Sponsae affinis

53. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Aut: Guilielmus Ulricus (cf. 51)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Sponse Musarum decus et columna,  
 Sponsa virtutum speciosa nutrix,  
 Vosque praestantes animi bonis et  
 Corporis ambo:  
 5 Dulce vivendi stadium secundet  
 Ipse, qvi coelum atque solum creavit,

Quique primus Conjugij ordinator  
 Auxiliator.  
 Jungat excelsus Dominus potenter  
 10 Conjuges, nexu placido, novellos;  
 Ut licet corpus geminum duobus,  
 Cor tamen unum.  
 Hinc procul lis desiliat molesta,  
 Huc cito pax prosiliat serena,  
 15 Jurgium servens, odiumque turpe  
 Deinde facessant.  
 Lis ubi non est, ubi nulla rixa,  
 Ast amor fervens animusque concors;  
 Salva tum constat domus, atque nulla  
 20 Tela nocebunt.  
 Et premant quamvis mala fata soepe,  
 Quae pios vexant simul atque turbant;  
 Attamen forti tolerandum et aequo  
 Pectore durum.  
 25 Huic toro Christus benedicat ipse  
 Ut probis gnatis domus impleatur  
 Quae siet cordi Pietas, Deique  
 Nobile nomen.  
 O agat multos, valeatque felix  
 30 Sponsa cum Sponso pariter per annos!  
 O simul castae numerent serena  
 Secula vitae!  
 Ita vovebam  
 GVILIELMUS VLRICUS, Junior.

54. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Aut: Petrus Langius (cf. 51)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

#### VALE ADMONITORIUM.

Sponse Vale, castae pulcherrima gloria Sponsae;  
 Sponsa Vale, docti clarissima gemmula Sponsi.  
 Dulce Decus Sponsae, gratissime Sponse Valeto,  
 Dulcis amor Sponsi, lectissima Sponsa Valeto.  
 5 Sponse Vale, Sponsae vero dilectus amore,  
 Sponsa Vale, Sponsi justo dilecta favore.  
**Wann ein Werckmeister klug gedencket auffzubawen**  
**Ein fäst vnd Newes Hauß/ mit fleiß er thut beschawen**  
**Ob gut das Fundament/ das nicht der wütend Windt**  
 10 **Auß seinm verborgen Ort blasend es fallend sindt.**  
**Vnd wann er das Gebäw hat vnterwerts formiret**  
**Nach artlicher gestalt/ auch obenwerts gezieret/**  
**Außwendig überall/ mit Weiß-rötlichem Dach/**  
**Das jhm der Himmel trüb nicht mache Vngemach;**  
 15 **So ist er seumig nicht einwendig es zu schmücken/**  
**Der Höbel muß es schlecht machen/ an allen stücken**

Wird es geziert auff's best/ damit der Herr allein/  
 Hab' Lust und Frewd darin mit den seinen zu seyn.  
 Ist auch Herr Bräutigamb solch ein Hauß euch erbawet?  
 20 Ja freylich! solch ein Hauß ist euch bereit/ da trawet;  
 Nicht auff ein Fundament/ daß sich bewegen lest/  
 Sondern auff Gottes Eidt/ es ist geziert auff's best  
 Außwendig das NewHauß/ das Neue Hauß wir meinen  
 Darein der Vberwindr' des Volckes thut erscheinen/  
 25 Der liebe Höbell hatts' auch schlecht vnd g'rad gemacht/  
 Drumb euch im Newen Hauß wünsch viel fröliche nacht.

Ita ad nomina Sponsi et Sponsae alludere voluit  
 PETRUS LANGIUS  
 Dithmarsus Holsatius.

55. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Adrianus Verginius (cf. 51)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

IVngItVr HöbeLlo soCia, et rVbICVnDa pVeLLa:  
 ChrIste faVe SponsIs ne sIne proLe CaDant.<sup>99</sup>  
 Sponse, preCor, faVeat VobIs fortVna benIgna;  
 Opto, non DesInt VsVs et esVs opVM.<sup>100</sup>

Sic gratulab.

ADRIANUS VERGINIVS Julino-Pomeranus

56. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Christophorus Michael (cf. 51)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Sancta Tori Sponsus casti qui foedera nectit,  
 Hic sapit, et sequitur jussa sacrata DEI.  
 Turpiter ast Satanae temnunt haec foedera servi,  
 Dum vita gaudet coelibe, rasa cohors.*  
 5 *Interea impuro gestant in pectore flammis,  
 Nec credunt his quod crimen inesse queat.  
 Absit, id o absit! melius, praeclare MAGISTER,  
 Tu facis, haec servas dum sacra jura tori.  
 Ac jungis vitae sociam, quae frigida possit*  
 10 *Tempore brumali membra fovere TIBI.  
 Sic melius nova Sponsa facit, sequiturque sororem,  
 Nec placet huic sterili Virginitate frui.  
 Sponsa nives possit quae forma et vincere cygnos  
 Atque oculis pulcris sydera pulcra poli.*  
 15 *Sponsus at est Charitum Decus ingens, culmina scandit  
 Parnassi; Huic Phoebus laureaserta dedit.  
 Corpore conspicua est toto sic Sponsa venusta,  
 Sponsus at ingenua Mente venustus erit.  
 Vivite felices parili vos semper amore,*  
 20 *Dilige Sponse tuam, dilige Sponsa tuum.  
 Sic aderit Summus vobis mox Numine sancto,  
 Largiter atque dabit pignora grata tori.*

<sup>99</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens

<sup>100</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens

Ita corde ex sincero Dn. Sponso gratulatur  
CHRISTOPHORVS MICHAEL  
Frosanus Halberst.

57. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Aut: Magnus Lallerus (cf. 51)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Alite felici tibi, mi Reverende Magister,  
En! modo dulce decus jungitur ELISABETH!  
Jungitur ELISABETH laudati Virgo pudoris,  
Et vario cultum munere pectus habens.  
5 Pauca Toris vestris, sed non spernenda, precabor,  
Omnia vota animi sint adaperta mei.  
Ambiat inprimis vestrum Concordia lectum.  
Mutuus et nullo tempore cesset Amor.  
Jova regat vestros, qui cuncta gubernat Amores,  
10 Sit sine labe Torus, sit sine lite Domus.  
Quae geritis, vestris succedant prospera votis,  
A concorde malum sit procul omne Toro.  
Si quid et inciderit contra pia vota molesti,  
Mox eat in gratum frigida Lympha merum:  
15 Vestra Domus veniat jucunda prole beata,  
Crescat et in cultu turba tenella Dei.

Honoris ergo deproperabat  
MAGNUS A. LALLERUS Smolandia Svecus,  
SS. The. Studiosus.

58. Adr: Nicolaus von Hövelen et Elisabetha Niehusen – Aut: Johannes Schlippenbach (s. 51)

Tallinn SA, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Anni principio, tibi Sponse verende Magister,  
Jungitur ELISABETH quae pietate nitet.  
Clare vir, an potuit melius donarier unquam  
Donum, quam conjux, Virgo pudica, tibi?  
5 Gratulor ergo tibi, Sponsam quod moribus auctam  
Nactus, quae requies grata futura tibi.  
Vives, atque Dei donis in pace frueris;  
Inque tuo, quod habes, munere prosper ages.  
Gaudebis longo securae tempore vitae,  
10 Obruet et stabilem nulla ruina Domum.  
Tantaque totque Deus bona se venerantibus offert,  
Optat Musa novo tantaque totque toro.*

Moris et honoris ergo apponebat  
JOHANNES Schlippenbach / Livonus,  
Haereditarius in **Bornhusen**

59. Adr: Johannes Erii – Aut: Ericus Matthiae (Disputatio physica de homine, quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Laurentii Ludenii, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo, /.../ disputationis exercitio, 27. Octob. anno 1638. /.../ submittebat Johannes Erii Stregnensis, /.../ - Dorpati Livonorum, 1638: Typ. acad.)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimo et Literatissimo*  
Dn. JOHANNI ERICI Stregnesia Sveco, pro summo in  
Philosophia gradu erudite disputanti, Amico  
suo fraterne dilecto.

*Duce ille natura, strepitum fori*  
*Optat: Sed illum Mars lituo vocat:*  
*Hic sulcat agros: Ille Patris*  
*Regna tridentiferi pererrat:*

5 *Nos rite Musae, vel Charites tenent:*  
*Nos sive lucem Delius advehat,*  
*Abdat jubar seu grande, cultis*  
*Assiduo videt esse Musis.*

10 *Verum es Tui ardescens animi vigor*  
*Unum procul Te jam ante alios rapit:*  
*Te Dorpticus pulcra, IOHANNES,*  
*Pindus avet celebrare fama.*

15 *Insta, vigor quo Te ingenuus vocat,*  
*Insta, suos nam Musa vetat mori:*  
*Coelo beant Musae: perennes*  
*Protrahit hinc Tibi Musa frondes.*

Syncere gratulatur  
ERICUS MATTHIAE Roslagia Svecus  
Philos. Candid.

60. Adr: Johannes Jonae <Carolstadius> – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de meditatione mortis: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 26. die Aprilis, anno 1638. publice /.../ habebatur a Johanne Jonae Carolstadio, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.)

UUB, SKB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. PERORANTI.*  
JOHANNES JONAE CAROLSTADIVS:  
*Per Anag:*  
JO, ANNI! NAE, A CHRISTO-DEO SALUS.

*ANNI, dicite JO! NAE, Mortem vicit Iesus!*  
*NAE, dulcis A CHRISTO DEO venit SALVS.*

Quod grat. app.  
LAURENTIUS LUDENIUS, J.V.D. et Prof

61. Adr: Johannes Jonae <Carolstadius> – Aut: Andreas Matthiae Carolstadius (cf. 60)

UUB, SKB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

5 *O Consors generis, doctrina macte, JOHANNES,*  
*Rem magnam praestas, dum pulpita celsa Lycei*  
*Scandis, et enarras facundae munere lingvae,*  
*Quod praesto est cunctis periturae linea vitae,*  
*Et genus humanum mortales exuat artus.*



Disce doceque mori! tandem post fata superstes  
Scandes astrigeri suprema palatia coeli!

In Honorem et Amorem Consangvinei sui scripsit  
ANDREAS MATTHIAE CAROLST.

62. Adr: Johannes Jonae <Carolstadius> – Aut: Ambernus A. Storch (cf. 60)

UUB, SKB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Mvsarum cultor, perdulcis Amice, JOHANNES,  
Et claustris animi rite recepte meis!  
Ore refers facilis: Quid sit Meditatio Mortis,  
Mente tenes summi jussa verenda Dei.*

5 *Perge recordari venienti occurrere Morti,  
Et Deus astripotens coelica sarta dabit.*

Non tam Moris, quam Amoris ergo  
Haec apposuit  
AMBERNVS A. **Storch** Mariaest.

63. Adr: Jonas Petri <Lincopensis> – Aut: Petrus S. Luuth (Pia vota in sacrum honorem /.../ Jonae Petri Lincopensis, in /.../ Gymnasio, quod Lincopiae est, SS. Theol. lectoris /.../ ibidemque poenitentiarij publici, et in Rysteda pastoris /.../ cum in ejusdem dioeceseos episcopum 2. die Julij, anno 1637. Holmiae /.../ crearetur, a Musis Embecciadibus SveoGothicis animitus decantata. – Dorpati Livonorum, 1638: Lit. acad.)

SKB, Linköping LB, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

*Antistes Domini; Salve: pie Episcopo, Salve;  
Salvae praefulgens o pietate Pater!*

Fama refert qua se celebrat Livonus Apollo,  
Cujus GVSTAVUS Maximus author erat.

5 Rite refert, PROCERVM et PATRVM suffragia vestros  
Ornasse insigni (Laetor) honore gradus.

Sedis Apostolicae in solium, PATER inclyte, scandis,  
Sancta gubernandi munera sumis Oves.

10 Sis felix, prosperque: Deo Duce et Auspice, Felix  
Vive diu; et studijs Fautor adesto meis.

In debitae Reverentiae et perpetuae grati-  
tudinis tesseram ex animo fauste accine-  
bat Dorpati

PETRVS S. **Luuth**  
Sveo Gothicus.

64. Adr: Jonas Petri <Lincopensis> – Aut: Emundus Joh. Lynaeus (cf. 63)

SKB, Linköping LB, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

*MAGISTER JONAS PETRI  
EPISCOPVS LINCOPENSIS:  
per Anagramma:  
PIE SONAS; ET SIC PIAM RE-  
GIS; NON PERIT SCOPVLIS.*

*Vir Venerande; Dei dum sancti semina verbi  
Spargis in orbe dato, Vir venerandus eris.  
Plantas en teneras fido sermone rigasti,*

- Vinea et his Domini tota patescit agris.*
- 5 *Tota patescit: eas, ut plus mereare rigando:  
Est laus in magnis commeruisse gradum.  
Voce PIE usque SONAS; Gentem PIAM ET usque sonando  
SIC REGIS; ac SCOPULIS NON PERIT illa datis.  
Sedulus inculcas sacrae piae dogmata Legis,  
10 Quae nobis vitae norma fidelis erit.  
Namque timere jubes Dominum super omnia solum,  
Nomen et illius, et Sabbatae sanctae coli.  
Proximus atque pari, dicis, foveatur amore;  
Vt sic Lex Christi perficiatur, agis.*
- 15 *Voce PIE usque SONAS, Gentem PIAM ET usque sonando  
SIC REGIS; ac SCOPVLIS NON PERIT illa datis.  
Dumque tuo veniens, multo solamine plenus  
Verbi Evangelici gratus ab ore sonus,  
Monstrat per meritum Christi, pro crimine mundi  
20 Passi, perque Fidem nos referare Polum.  
Namque opus aut meritum nostrum non hic valet ullum,  
Romana id quanquam perfida turba docet.  
Voce PIE usque SONAS, Gentem PIAM ET usque sonando  
SIC REGIS; ac SCOPVLIS NON PERIT illa datis.*
- 25 *Solus adoretur Pater; Ad coelum est via solus  
Christus, et absque illo non mediator erit.  
Flumine qui sacro Baptismi e fonte lavatur  
Induit is Christum, gaudet ovatque pie.  
Ast tamen ut loti pedibus, sunt soepe lavandi;  
30 (Lubrica namque via est, qua maculatur homo)  
Sic, nos usque dolor purgabit serius, atque  
Sangvine cum Christi corporis esca, doces.  
Voce PIE usque SONAS, Gentem PIAM ET usque sonando  
SIC REGIS; ac SCOPVLIS NON PERIT illa datis.*
- 35 *Te Deus incolumem servet, sanctumque laborem  
Ducat: laudi ut opus serviat omne sacrae.*

In debiti Honoris, Observantiae et Grati-  
tudinis aliquale documentum, reverenter offert  
EMUNDUS JOH. LYNÆUS

65. Adr: Jonas Petri <Lincopensis> – Aut: Petrus J. Liurenus (cf. 63)

SKB, Linköping LB, [UUB, Tartu UB]  
GRATULATIO

- Sic Deus Omnipotens concinni conditor orbis,  
Coetum qui sanctum dirigit ipse suum;  
Nunc sancto fessis sacrarum munere rerum,  
Per mortem subitam praebet ad astra viam:*
- 5 *Ardua nunc aliis coelestis munera Verbi  
Commendat claris continuanda Viris.  
Inclyta Gothorum sedes Lincopiae testis,  
Praesulis in tumulum quae tulit ossa sui,  
Spargentis stabili pia dogmata voce IOHANNIS;*
- 10 *Cujus mens coelis vivit et astra tenet.  
Succedit sancta doctrina clarus IÖNAS*

*Qui populo pergit rite praeesse Dei.*

*VOTVM.*

*Cui precor ut Christus Pyllos det vivere in annos,  
Quo maneat Domini coetus in orbe pius.*  
15 *Praemia coelestis tandem pacata salutis,  
Coelicolas Proceres inter in axe ferat.*

Piae observantiae ergo scripsit  
PETRUS J. LIURENIVS  
Ostrogothia Svecus.

66. Adr: Jonas Petri <Lincopensis> – Aut: Haquinus Andreae Kylander (cf. 63)

SKB, Linköping LB, [UUB, Tartu UB]  
GRATULATIO

A Deo summo precibus rogandus  
Doctor est verbi Pietate pollens;  
Qui lupos soevos, ovibus minantes  
Pellere possit.  
5 *Qui Gregem pascat Domini loquela;  
Et sacro navus bene fonte potet,  
Post domum pastas veniente ducat  
Imbre severo.*  
10 *Gothica o tellus, Patria ac amoena  
Ecce; Pastorem tibi dat fidelem  
Christus e sancta bonitate IONAM  
Lincopiensem;*  
*Qui tuus Praesul, caput atque Doctor  
Sedulus, quovis erit obviant*  
15 *Tempore: Eia, ergo bona cuncta toto  
Corde precare.*  
*Dicito; Vivat! Vigeatque mecum,  
Et verendam Ecclesiolam Piorum  
Voce Divini moderetur omni*  
20 *Tempore Verbi.*

Dn. Patrono et studiorum meorum Mecoenati  
summe venerando, debita humilitate ac  
observantia offero subjectissimus cliens  
Haquinus Andreae Kylander  
Ostrogothia Svecus.

67. Adr: Jonas Petri <Lincopensis> – Aut: Andreas Erici Orstenius (cf. 63)

SKB, Linköping LB, [UUB, Tartu UB]  
GRATULATIO

*I insigni doctos ornat pia Daphnide Pallas,  
P hoebus et ad Clarij culmen honoris agit.*  
*O doctum genuit Lincopia Patria JONAM,  
E ximia qui nunc sede beatus ovat!*  
5 *N obile depositum patriae! fax splendida Cleri,  
T hejologum vita dexteriore refert.*  
*A gnoscas opus hoc OSTGOTTHIA. Episcopus audis,  
R ector eris Cleri: cuncta beata precor.*

10 *S anctus ut est, Sanctos sic procreet ore diserto,  
I ugitur et crescant dante iuvante Deo.*

## VOTUM.

*Alme Deus, moderare Virum sacra Sceptra gerentem,  
Quo valeat Verbum rite docere tuum!  
Alme Deus, facias ut prospera cuncta capescat,  
Et Pylis vivat secula multa senis!*

In Symbolum debiti honoris Re-  
verenter apposuit  
Andreas Erici Orstenius  
Ostrogothus.

68. Adr: Jonas Petri <Lincopensis> – Aut: Petrus L. Schonbergius (cf. 63)

SKB, Linköping LB, [UUB, Tartu UB]  
GRATULATIO

*JONAS PETRI LINCOPENSIS GOTHVS:*

Per anagram.

*JESVS, PACIS LYTHRON INGENS: OPTO.*

Votum Admodum Rev. Dn. Episcopi.

*Sit faustum et felix; JESV Duce et Auspice JESV,  
OPTO sacrae LYTHRON PACIS; ut OPTO, feram.  
INGENS PACIS enim LYTHRON, Servator JĒSVS,  
Qui me quique omnes morte redemit oves.  
5 Sis INGENS PACIS, IESV mihi candide, LYTHRON:  
Sic, velut OPTO, in te rite beatus ero.*

## Votum Authoris.

*Rite beatus eas; in IESV rite beatus  
Ad sanctum officium dum Deus ipse vocat.  
Nam (velut in Fatis) clausit sua lumina Praesul  
10 IANVS; et hinc tumulo membra ferenda dedit.  
In stationem ejus revocant te Numina sancta,  
Vt doceas Summi sacra statuta DEI.  
Lincopia aureleos nunc dextre innecte capillos,  
Absint moestitiae nubila signa tuae.  
15 Nuncia turba DEI laeta sub fronte triumphat,  
Et IONAE PETRI cuncta precare bona.  
Tuque Iuventa, sacris pridem concredita MVSIS,  
RECTOREM hunc animis devenerare tuum.  
Civica turba, bono bona dicito tempore verba,  
20 Vtque diu vivat Praesul in orbe roga.  
Vivat! Et ut vivat per secula tota precabor  
Sanctae Ecclesiolae, promoveatque bonum.*

In debitae observantiae, et gratitudi-  
nis monumentum adjecit  
Petrus L. Schonbergius  
Ostgothia Svecus.

69. Adr: Jonas Petri <Lincopensis> – Aut: Nicolaus Petri Drysander (cf. 63)

SKB, Linköping LB, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

*Perge DEO dignas celebrare, OSTGOTTHIA, laudes,  
Gens pia Lincopiae psallere perge DEO;  
Psallere perge DEO; tibi EPISCOPVS ecce creatur  
IONAS nunc PETRI; Sancta brabea refert.*  
5 *Et merito; Sancti praefulget dogmatis astris,  
Et gravis est vita, moribus et gravis est.  
Sed sileo subito. Nil non laudabile in illo est  
Quod solet insignem concelebrare Virum.  
Nunc etenim ad Superos mea vertere vota studebo*  
10 *Praesul ut ille diu prosper in orbe regat.*

Debitae subjectionis contestan-  
dae causa apposuit  
NICOLAVS PETRI Drysander  
Ostrogothus.

70. Adr: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Petrus S. Luuth (Oratio de studiorum impedimentis: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 24. die Aprilis anno MDCXXXVIII. publice /.../ habuit ac decantavit Haquinus Andreae Kylander /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Ornatissimo et Literatissimo Viro-Juveni  
Dn. HAQVINO ANDREAE KYLANDRO,  
Sympatriotae ac Amico ut svavissimo, ita certis-  
simo, de Impedimentis Studiorum docte et metho-  
dice peroranti.

Absint ut Muis objecta obstacula<sup>101</sup>, fluentes  
Tolle moras gnava, chare Kylander, ope:  
Tolle moras; vigila Studijs industrius, atque  
Perfer inextincto pectore quicquid obest.  
5 *Pondere pressa gravi pignantem palma manebit,  
Atque tibi vireat palmula grato! Vale.*

Animitus gratul.  
PETRUS S. Luuth / Sveo-Gothicus

71. Adr: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Emundus Johanni Lynaeus (cf. 70)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*AQVINVS ANDREAE CYLANDER:*  
Per Anagram.  
*AN NVNC ELYSIAE, QVA REDDAR?*

*AN NVNC ELYSIAE sylvae QVA parte beatus  
REDDAR, dum studiis invigilasse meum est?  
ELYSIAE REDDAR sylvae, Christo auspice, reddor  
Dum studiis animo dexteriore meis.*

<sup>101</sup> *obstacla* pro *obstacula* edd metri causa

- 5 *ELYSIAE sylvae REDDARIS, tuque beatus*  
*Esse potes studiis, dulcis Amice, tuis.*

*Aliud.*

- Tempore florifero hoc, dum vernant cuncta per orbem,*  
*Tu vernas studiis, et pietate viges.*  
*Vernans et florens pergas, doctissime HAQVINE;*  
10 *Te manet haud dubia sorte perennis honos.*  
*Sorte perennis honos maneat; tua gaudia vernent*  
*Ver ubi perpetuum, morte solutus, ages.*

Animus et manus amica  
Emundi Joh. Lynaei.

72. Adr: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Petrus Jonae Liurenus (cf. 70)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- Impiger ut semper, cultor squalentis agelli*  
*Pauperiem fugiens, pigris dat semina sulcis:*  
*Otia sic sudat propellere tetra KYLANDER,*  
*Praemia quo tandem, pacate larga reportet*  
5 *Permultos inter cives rutilantis Olympi,*  
*Obvia quae nulli sunt, otia foeda foventi.*

Amoris et sinceritatis ergo apposuit  
PETRUS JONAE LIURENIUS  
Ostrogothia Svecus.

73. Adr: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Andreas Erici Orstenius (cf. 70)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- Mirum, quod pauci cingantur tempora Lauru,*  
*Tritoniaeque chorus corpore serpat humi!*  
*Mirum, quod pereat proles jurata Lyceo*  
*Cum tamen ingenuo Marte beata siet.*  
5 *Ast ego dum penitus praesentem volvero chartam,*  
*Desino mirari, causa soluta patet.*  
*Sic struit insidias Genialis consitor uvae,*  
*Moliturque moras deliciosa Venus.*  
*Quas nunc rite suo depinxsti,<sup>102</sup> HAQVINE, colore,*  
10 *Fortiter ut cuncti damna cavere queant.*  
*Apprecor hinc: Hostes Phoebi propellere pergas,*  
*Perget et ille tuum cingere fronde caput.*

In tesseram sinceræ amicitiae  
subnectebat  
Andreas Erici **Orstenius** /  
Ostrogothus.

74. Adr: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Petrus Laurentii Schonbergius (cf. 70)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

<sup>102</sup> *depinxsti* pro *depinxisti* S H metri causa

## GRATULATIO

Pallados ad muros permultos currere cerno;  
 Perpaucos autem posse tenere scopum;  
 Posse tenere Scopum praefixum; et larga laboris  
 Praemia: quae sit, non causa latere potest.  
 5 Et mihi suggeret hinc praesens Oratio docta,  
 HAQVINUS fudit quam gravitate pia:  
 Dicit; SEGNITIEM et VENERIS tenuissima facta;  
 Artibus ire bonis impedimenta mala.  
 Quis te non laudet? Quis non Encomia dicat?  
 10 Qvum MUSIS quae sunt hinc nocitura, refers.  
 Sicut coepisti, sic perge KYLANDER, et ipse  
 Pertinges METAM, et praemia larga feres.

Fratris dilectiss. apposuit  
 Petrus Laurentij Schonbergius  
 Ost-Gothia Svecus.

75. Adr: Ericus Petri Lerbeckius – Aut: Ericus Matthiae (Disputatio philosophica de sensibus in genere et in specie de externis: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Petri A. Schomeri, /.../ publicae /.../ disquisitioni, ad diem <31. Octo>bris, /.../ submittit Ericus Petri Lerbeckius, /.../ author et respondens. – Doprati Livonorum, 1638: Lit. acad.)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Praestanti Doctrina et Humanitate Ornatissimo juveni*

Dn. ERICO PETRI LERBECKIO,  
 Nerikia Svecu, Thesium de Sensibus in genere et de Externis in specie, Authori et Propugnatori  
 Solertissimo, Amico suo syncere dilecto.

Ut tua perpulcre pulcris, *Industrie ERICE*,  
 De Sensibus sensa exprimens  
 Disseris egregie lingua calamoque paratres:  
 Sic dum aureas in Literas  
 5 Perdius et pernox Sensus intendis acutos,  
 Sanctaeque Honestati litas;  
 Sensiferis sertum nectis tibi dulce capillis,  
 Frondes et usque sensibus  
 Nusquam non certo placituras; menteque laeta  
 10 Gaudenda vota senties.

Animitus gratul.  
 ERICVS MATTHIAE Roslagia Svecus,  
 Philos. Candid.

76. Adr: Ericus Petri Lerbeckius – Aut: Johannes Erici (cf. 75)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Umbra velut corpus sequitur; quaque ambulat istud  
 Suscipit illa viam, sorte in utraque manet:  
 Sic Doctrina Comes Studioso semper adhaeret,  
 Sors onerosa premens cui nocuisse nequit.*

5 *Quin immo haec Studiis Virtutis praemia confert,  
Haec titulis ornat, Laude sub Astra vehit.  
Quae dum perpendis, LERBECKI Sympatriota,  
Pierides Musas nocte dieque colis:  
Nec Sophiae metuis longos ascendere montes,  
10 Sic animum cingat docta Minerva tuum.  
Unde et, ERICE, tuos merito collaudo labores;  
Te tollat Studii fructus in alta; precor.  
Ingenium felix pergas efferre per artes,  
Sic tibi, sic Patriae commoda magna feres.*

Quod lubens adposuit  
Johannes E. Stregn.  
Sudermannia–Svecus.

77. Adr: Laurentius Lindelius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophico-practica de fortitudine; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Laurentii Ludenii, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo /.../ disputationis exercitio 23. die Maji, /.../ submittebat Laurentius Lindelius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1638: Lit. acad.)

Växjö LB, [Tartu Ub]  
GRATULATIO

*Praestantiss. et Doctiss.  
Dn. RESPONENTI.  
LAVRENTIVS LINDELIVS:  
Per Anagr.  
SIT ILLI EN LAVRVS: VNDE!*

In studijs vixit: jam CHRISTO dante, SIT ILLI  
EN LAVRVS: studiis VNDE beatus eat.

In felix auspiciis app.  
Laurentius Ludenius, Phil.  
et J.V.D. et Professor.

78. Adr: Laurentius Lindelius – Aut: Gabriel Gryp (cf. 77)

Växjö Lb, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Explorata Sago virtus donatur honore,  
Explorata Toga fert eademque decus.  
Bellonae vexilla sequi virtute virili  
Quos juvat, egregio praemia jure ferunt.  
5 Sic quos Pallas honora suis certamina castris,  
Edere delectat, pulchra brabeia ferunt.  
LINDELI, dilecte loco patris, haec tibi grator  
Praemia, quae pulcro Pallas honore dabit.*

L.F.  
GABRIEL GRYP / Nob. Svecus

79. Adr: Laurentius Lindelius – Aut: Magnus A. Lallerus (cf. 77)

Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ingenium multa coluisti industrius arte,  
PIERIOque ferax munere pectus habes.  
Vita pia, et faciles mores, et candida virtus,  
Et tua mens omnes prompta juvare bonos.  
5 Ambibunt tua sic, LINDELI, tempora Laurus,  
Angelico tandem robore cinctus, ave.*



Animitus congratulabatur  
MAGNUS A. LALLERVS  
Smolandia-Svecus.

80. Adr: Laurentius Lindelius – Aut: Johannes Petrejus <Junecopinus> (cf. 77) Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Fortiter armis pugnat eques cataphractus, et ipse  
Non patitur clausas hostes irrumpere in arces.  
Fortiter o pugnans, LINDELI, candide Amice;  
Vicisti studiorum hostes, inimicaque castra,  
5 Quando ad Parnassum virtute ascendis, ut inde  
Praemia grata feras, sacro quae digna labore;  
Haec tribuet, Duce dante Deo, tibi cultus Apollo,  
Dum te Laurus amat; dum, Christo Praeside, Pallas  
Imponet docto capiti mox textile sertum.  
10 Sit foelix: bene vive Deo, bene vive Camoenis  
Accrescatque tuum per secula plurima Nomen.

Honoris et amoris ergo  
scripsit  
Iohannes Petrejus Iunecop. Svec.

81. Adr: Eberus Olai Löfvingius – Aut: Petrus Andreae (Oratio de nobilitate: quam, /.../ in Regia  
Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 6. die aprilis, anno 1638. publice /.../ enarrabat Eberus Olai  
Löfvingius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1638: Typ. acad.) H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrina, Pietate et Humanitate conspicuo Juveni*  
Dn. EBERO OLAI LÖFVINGIO  
Calm. de *Nobilitate* docte peroranti.

*NOBILITAS splendet bene avitis fulva triumphis:*  
*Unde etiam Claro servantur stemmate nati;*  
*Qui Clypeos gestant titulis signisque rigentes*  
*Concilio Regum inserti, moderamina rerum*  
5 *Majestate data capiunt belloque probantur*  
*Atque domi atque foris numeroso nomine clarent:*  
*Hinc, EBERE, genus dum narras Nobile avorum,*  
*Rem cuivis praestas per cuncta encomia gratam.*  
*Narra; Etenim tibi formavit bona SVADA loquelam,*  
10 *Vt possis CATHEDRA facundo dicere ritu.*  
*Narra, inquam; sic semper erit tibi nobile nomen.*

Honoris ergo ap.  
M. Petrus Andreae Arbogia-  
Wesmannus

82. Adr: Eberus Olai Löfvingius – Aut: Abel B. Lyre (cf. 81)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

NOMEN

Praestantissimi ac Humaniss. Juvenis Viri  
Dn. EBERI OLAI **Löfving** / Smol.-Gothi  
Acad. Dorp. Studiosi industrij, fratris et amici  
sui singulariter colendi, de Nobilitate polite orantis, hoc  
carmine lubens flectit.

*Eberus Löffwing* claro de semine natus.  
*Eberi* decus eximium, sit Nobilitatis.  
*Ebero* juveni concedite laurea sarta,  
*Eberum* Generosi vos attollite nostrum.  
 5 *Ebere* egregias hinc pergin' promere laudes;  
*Ebero* abs **Löffwing** sic crescit nobilis ortus.

ABEL B. LYRE, V. Gothus.

83. Adr: Eberus Olai Löffvingius – Aut: Johannes Bussmannus (cf. 81)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvi cupit in Musis titulo gaudere Sophorum,*  
*Is semper vigilet: studiis industrius adsit.*  
*Surget deinde decus, laus surget palmula grata.*  
*Sic te, LÖFVINGI, dicentem palma manebit,*  
 5 *Praemia quo tandem pacate larga reportes.*  
*Sicut coepisti: merito sic Arte beatus*  
*Metam pertinges, et praemia semper habebis.*

Amicitiae sincerae contestandae  
L. subnectebat  
Johannes Bussmannus  
Calmar.

84. Adr: Abel Benedicti Lyre – Aut: Nicolaus Olai (Disputatio philosophico practica III. De ethica dogmatica, deque hominis beatitudine civili; quae in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati colligitur 13. Octob. /.../ disputationis exercitio committebatur praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Abele Benedicti Lyre, /.../ Dorpati Livonorum, 1638: Typ. acad.)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestanti Doctrina et Humanitate Orna-*  
*tissimo Juveni*  
 DN. ABELI BENEDICTI LY-  
 RE, harum Thesium propugnatori, Amico  
 syncere dilecto.

*Mortales inter, felicem ducere vitam*  
*In terris, unquam quid sit divinius, oro?*  
*Annon accedit Bene vivens, proxime ad Illum,*  
*Qui versat terras ac celsi sidera coeli?*  
 5 *Sic est. Hinc gratam rem, praestas omnibus, ABEL,*  
*Dogmata vivendi felici sorte serendo,*  
*Pergito sic dextre doctrinas spargere sanas,*  
*Sic Bonus, aeternum sic Felix atque Beatus.*

M. NICOLAUS OLAI,  
Calmariensis.

85. Adr: Abel Benedicti Lyre – Aut: Nicolaus I. Ramzius (cf. 84)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Detegit, et pure qui promit sensa Sophorum,  
 Pergere quin possit, nemo loquendo vetat.  
 Ni male, nemo vetat: remoram ponet facietve  
 O nullus studiis, ni velit esse malus.

5 Ergo tuo delector ego studio stadioque,  
 Successusque bonos, intime ABELE, precor.  
 Clara tu serie demonstras, voce canora  
 Declaras, summum quid sit orbe bonum.

Debiti honoris persolvendi ergo, adjunxi  
 NICOLAVS I. RAMZIVS,  
 W.-Gothus.

86. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Laurentius Ludenius (Vota, quibus insperatum abitum /.../ Georgii Mancelii, Sengalli, SS. Th. 1. ejusdemque in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ professoris /.../ ad aedem D. Johannis pastoris, circuli Dorpatensis praepositi, protosynedrij adsectoris etc. 12. die Januarij, anno 1638 Dorpato discedentis; /.../ prosequantur Musae Dorpatenses. – Dorpati, 1638: Typ. acad.)

LNB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

GEORGIUS MANCELIUS L.

*Per Anag.*

CVRIS ILLE EGO MAGNUS.

*Clare Vir, Eusebiae et Christi Reverende Sacerdos,  
 Deliciumque Soli, Deliciumque Poli:*

Siccine Tu *Curis et Magnus* rebus agendis,  
*Magnus in orbe Poli, Magnus in orbe Soli?*

5 Omnia respondent. Respondes: *Auspice Christo,*  
*Officij curis Ille ego magnus eram!*

Dum primi sanguis mihi floruit integer aevi,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

10 Cum mihi vernarent dubia lanugine malae,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

Fulgere ut coepi devota mente Sacerdos,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

Vt coepi donis venerari Numinis Aras,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

15 Vt Dorpatensem docui alta Oracula Gentem,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

Sacrum Evangelium ut docui et sacra dogmata Legis,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

20 Audivi donec felix Academicus Hercules,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

Donec formavi ad studiumque Vsumque Juventam,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

Hos inter Levones donec vixi Archisacerdos,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

25 Consilijs habitus gravibus pulcerrimus author,  
*Officij ut curis ille ego magnus eram!*

Civicus ut placidis vixi cum Civibus Hospes,  
*Officij curis ille ego magnus eram!*

30 Jam Christus dum me jubet his excedere terris,  
*Officij curis ille ego magnus ero!*

Illustris jubeor succedere Principis aulae,  
*Officij curis ille ego magnus ero!*

Formabo mores Hominum; Duce et *Auspice Christo,*

Officij *curis ille ego magnus* ero!  
 35 Ad Ducis exemplum totus formetur ut orbis,  
     Officij *curis ille ego magnus* ero!  
 E norma ut vivant omnes Sanctique Probique,  
     Officij *curis ille ego magnus* ero!  
 Vt vivam moriarque meo per funera Christo,  
 40 Officij *curis ille ego magnus* ero!  
*Clare Vir, Eusebiae et Christi Reverende Sacerdos,*  
     *Deliciumque Soli, Deliciumque Poli;*  
 Vere *Magnus* eras his Dorpatensibus oris,  
     Officij *cura* divite *magnus* eras!  
 45 *Magnus* eras; Arae, Subsellia, Templata loquuntur,  
     Officij *cura* divite *magnus* eras!  
*Magnus* eris! Celsi in FRIDERICI Principis aula  
     Officij *cura* divite *magnus* eris!  
 Sit faustum et felix; Christo Duce et Auspice Christo,  
 50 Officij *cura* divite *magnus* eris!  
*Magnus* eris *curis* et *magnus* rebus agendis,  
     *Magnus* in orbe soli, *magnus* in orbe Poli.  
*Magnus* eris *Magnis*; Christo Duce et Auspice Christo,  
     Officij *cura* divite *magnus* eris.  
 55 Vive Vale *Magnus*; Patrio sis *magnus* in orbe;  
     Vive, Vale Christo Praeside, *magnus* eris!  
 Sic Pietas, sic prisca Fides, sic vota precantur;  
     MANCELI, officio divite *magnus* eas!  
*Magnus* eas! nostrisque animis illabere *magnus*;  
 60 Officij *cura* divite *magnus* eas!  
 Vive, Vale; cara cum Conjuge Proleque vive;  
     Officij *cura* divite *magnus* eris!

Quod animitus precab.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et  
 J. V. D. In Regia Academia Dorpatensi  
 Professor Iuris, Oratoriae et Poëseos.

87. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Salomon Matthiae (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Siccine, MANCELI, Divini Buccina Verbi,*  
*Egregiis praestans animis; Zeloque verende,*  
*Eusebiae Decus, et nostri sacra Fama Lycei,*  
*Discedis nostris a Dorpatensibus oris?*  
 5 *Sancta Professore venerandum Academia vidit;*  
*Et Dorpatenses pandentem oracula Christi*  
*Obstupere Virum; et coelestia jura docentem.*  
*Siccine, MANCELI, DIVINI BUCCINA VERBI,*  
*A nobis modo abis; modo adisque Illustris in aulam*  
 10 *FRIDRICI Ducis, Illustrem Curlandia tota*  
*Quem Patriae Patrem toto veneratur honore?*  
*Ibis in Illustris FRIDRICI Principis Aulam*  
*Vt doceas Evangelium Legemque stupendam.*

15 *Incoeptis adsit Christus. Christo Duce, Templum  
Audiet eloquioque gravem, vitaque decenti  
Innocuum; Vivatque Bonus per Nestoris annos.*

Ita unice vovebat  
M. SALOMON MATTHIAE Orient.  
Ling. in Academia Dorpatensi Professor  
Ord. et ad D. Ioh. designatus Pastor.

88. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Guilielmus Ulricus (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Si nunc Eusebiae fidelis Hospes,  
Nec non tu Aonidum polite Cultor,  
Perdoctum atque Pium Virum videre  
Vis, huc, huc ades; ad Virum hunc Sacratum  
5 Nostrum MANCELIUM, LICENTIATUM  
Jam, jam quæso, oculos tuos reflecte.  
Hic est, cui DEUS ex Benignitate  
Concessit Genii Ingeniique<sup>103</sup> multas  
Dotes, quis potis est juvare multos.  
10 Hunc ipsum unanimem pie et diserte  
In sancta Domini Domo docere  
Audisti, ac Academico in Lyceo  
Docte praelegere e sacris Prophetis  
Praeclaras variasque soepe Gnomas.  
15 Audisti Ipsum etiam ore soepe docto  
Contra Papicolos viros, decenter;  
Calvini rabiem malam, lubenter;  
Et contra haeresin impiam Socini  
Ex verbo Domini potenter ire.  
20 Vidisti quoque soepius sedentem  
Ipsum in Concilio sacro, verendos  
Inter Thejologos<sup>104</sup> Viros, Politos  
Ac inter Themidos Viros sacratae  
Sanctum dicere Jus, et Aequum Egenti.  
25 Insignem hunc merito Virum dolemus  
A nobis quod abit loca ad remota.  
Dorpatensia Templa nunc valete!  
Inquit; vox mea personans recedit  
Dehinc; Tu sancta Academia o valeto!  
30 Inpostrum<sup>105</sup> haud mea vox sonabit in te.  
Tu sanctumque Synedrium o Valeto!  
Posthac vox mea non sonabit in te.  
Vos Cives, animae meae, valete;  
Vobiscum DOMINUS; diu valete.  
35 A nobis igitur, DEO vocante,  
Cum certum hinc procul, ah! modo ire, Clare

<sup>103</sup> *IngenIque* B: scil. *Ingeniique*

<sup>104</sup> *Thejologos* pro *theologos* B metri causa

<sup>105</sup> *Impostrum* pro *in posterum* B metri causa

MANCELI, Patriae tuae saluti  
 Inservire; TIBI Boni precamur  
 Omnes, prospera multa, longa Vitae  
 40 Hujus tempora, quo DEO potenti,  
 Charo proximo ibi diu, Tuisque  
 Prosis, ac animas DEO lucreris!

Ita vovebam  
 GVILIELMUS ULRICUS  
 Junior, L.L. Studiosus.

89. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Jacobus Balccius (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

Vir Reverende, Decus nostri immortale Lycei,  
 Licentiate candide;  
*Siccine dilectas Musas et Templā relinques*  
*In Vrbe Dorpatensium?*  
 5 *O dolor! o lacrymae! Musas et Templā relinques*  
*In urbe Dorpatensium.*  
*Flet Pietas, flet sancta Fides, Academia luget,*  
*Flent Templā, Cives ingemunt!*  
*Verum ita vult Christus; qui dixerat, ingredi urbem*  
 10 *Hanc ergo Dorpatensium;*  
*Me mandante, iterum feliciter egredi urbem,*  
*Inquit; cito Dorpatensium;*  
*Et Curlandiam adi; Ducis hinc Illustris in aulam*  
*I Concionator pie.*  
 15 *Atque Ecclesiolae pulcherrima commoda CVRA,*  
*Sic dextre eris CVRLANDICVS.*  
*Dixerat: et subito tu dicta beata capescis,*  
*Abis, Valedicis cito.*  
*Flent Dorpatenses! Curlandi hoc nomine gaudent;*  
 20 *Dolemus! Illi jubulant.*  
*Verum cum lacrymae nihil hinc remorentur euntem,*  
*Precabor o felicia!*  
*Sit felix abitus; Reditus felix sit in aulam*  
*Curlandicam per secula.*  
 25 *Principibus placuisse Viris sit gloria magna,*  
*Major placere sit Deo.*  
*Vivat dilecta cum Prole et Coniuge vivat*  
*Et floreat per secula.*

Sic g.  
 JACOBUS BALCCIVS Gryphiswald.  
 Pom. SS. Th. ac Ph. Stud.

90. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Bartholomaeus Hillius Junior (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

Vt res salva manet populi, qui castra sequutus  
 Arte ducis gnari qui bene bella gerit:  
 Moeror at et luctus rerum et discrimina surgunt

Dux quando celerem praeparat inde abitum.  
 5 Sic tua militia est, Excellentissime Pastor,  
     Sub qua Dorpati Gens pia castra colit,  
 Sub rubido Christi vexillo castra sequuta,  
     Te Pastore, hilaris Gens pia bella gerit.  
 Ast abitum celerem dum maturare laboras  
 10 Moeror cum luctu surripit hunc populum:  
 Surripit et populum, sequitur qui castra Minervae,  
     Moeror, Doctorem dum procul ire gemit.  
 Ito bonis avibus, propugna castra Jehovae,  
     Vt cedat Christi parta corona tibi.

Ita animum declarabat  
 BARTHOLOMAEUS HILLIUS Junior  
 Colberg. Pom. Ling. et Ph. Stud.

91. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Petrus Langius (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

**Glückwünschungs Gedicht**  
**Auff bedeutung des Abreisenden H.**  
*Licentiatu Tauffnahmen.*

**NAch Adams traurign Fall vns Menschen ist zu bawen**  
**Das fruchtbar=blühend Feldt/ befohlen/ daß wir schawen**  
     **Gar fleissig solln allzeit/ das Disteln vnde Dorn**  
     **Nicht nehmen vberhand/ wir Menschen seyn gebohrn/**  
 5 **Daß wir das täglich Brodt im Schweiß des Angesichtes**  
**Erwerben/ biß daß wir werden auß Erden nictes**  
     **Wied'rumb/ darauß wir seyn *formiret* im Anfang/**  
     **Bey allen ist Arbeit nur schwer jhr Lebelang.**  
**I hr/ Hochgelährter Herr/ dieß woll in acht genommen**  
 10 **Hie als ein Ackerßman geschaffet habt groß frommen**  
     **I m Geistlichn' Ackerbaw/ einn' rechten Ackersman**  
     **Billig im Ackerbaw/ ein jeder nennen kan.**  
**Wer wolte dieses nicht mit Danckbarkeit erkennen?**  
**Euch/ Hochgelährter Herr ein Ackersman wol nennen.**  
 15 **Wer wolte ewren Fleiß vnd Eiffer jmmerfort**  
     **I m Geistlichn' Ackerbaw nicht rühmn' an allem ort.**  
**Wie manche schöne Blum der Jugend jetzund blühet/**  
**Bey uns/ wie manches Hertz sich grämet vnde mühet/**  
     **Daß jhr Bawman vnd Herr von jhnen scheiden will/**  
 20 **Der Acker jhres Hertz'n' für trawren lieget still.**  
**Was hilffet das man trawrt? was hilffet das man weinet?**  
**I n diesem Werck allein der Wille Gotts erscheint/**  
     **Der seine Ackersleut bald hier bald dort hinstellt/**  
     **Wo es jhm thut gefallen in das Welt weites Feld.**  
 25 **Vnd weils dann Gottes Will' von vns jetzund zu scheiden**  
**So wollt der fromme Gott euch mächtig je begleiten**  
     **Mit seinem Engell Heer/ damit kein Ungemach**  
     **Auff vorstehender Reiß/ bey Tage oder Nacht**  
**Der listig' Menschen Feind zufüge euch/ sampt allen/**

- 30 Die mit euch reisen weg von Dorpat nach Sempallen/  
 Da ewer Vaterlandt/ darinn jhr seydt gebohrn  
 Da ewer LandeßFürst/ zum Bawman euch erkorn.  
 GOtt woll' den Segen mild verleihen zu dem bawen  
 Gesundheit vnde Stärck/ daß jhr mügt Früchte schawen  
 35 Der schweren=Müh Arbeit/ so könnt mit Frewden jhr  
 Verrichten ewer Ampt hie nach allem begier.  
 Wann der Vergeltungs Tag gar plötzlich wird angehen/  
 So werdet frewdig jhr fürm Richter dort bestehen/  
 Dem jhr allhie gedient/ mit ewern Angsicht Schweiß  
 40 Und haben dann zu Lohn/ groß Frewd/Ehr/ Lob und Preiß.

GEORGIUS MANCELIUS L.  
 ἀναγράμ.  
 JUSSU MILLE CONGREGA.

- Sic procul a nostris his terris ergo recedis,  
 Vir Pietate gravis, Vir Gravitate pie.  
 Hunc flet discessum Pietas, Academia deflet,  
 Flet Studiosa Cohors, Civica Turba gemit.  
 45 Flemus! sed frustra: Christo mandante, recedis,  
 Ut doceas alio sacra statuta loco.  
 Illustris Princeps Curlandicus evocat. Ire,  
 Ire tuum est. Migras concomitante Deo.  
 JUSSU MILLE Dei tu Gentes CONGREGA in orbe  
 50 Ad Regnum Christi et re meliore bea.  
 Ito bonis avibus, cum cara Conjuge, cumque  
 Prole. Decus Patriae sis manesque tuae.  
 Ito; Deus vitam conservet et augeat annos,  
 Atque tuum coeptum firmet et ornet ope.

Quod  
 Gratitude contestandae causa Excellentissimo  
 Dn. Praeceptoris et Evergetae suo singulariter co-  
 lendo in felicissimum abitum adjecit  
 PETRUS LANGIUS  
 Dithmarsus Holsatus, SS. Theol.  
 Studiosus.

92. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Adrianus Verginius (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

- Vestra Professores CVr roDIt peCtora fLetVs?  
 CoLLEgae eX abItV sVrgIs aCerbe DoLor!<sup>106</sup>  
 CVr, CIVes, LVcTVs tangIt praeCorDIa Vestra?  
 DIscEssIt Pastor LaetItIa ergo fVgIt.<sup>107</sup>  
 5 TV stVDIosa Cohors CVr non nIsI trIstIa Cantas?  
 PraeCepToRIs Iter gaVDIa CVnCTa Vetat.<sup>108</sup>  
 O CLarI DoCtIqVe VIrI DeponItIe fLetVs;  
 PraeCeLLens VIr abIt qVo pIa fata VoCant.<sup>109</sup>

<sup>106</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens

<sup>107</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens

<sup>108</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens



Prosper Vt ergo abItVs tIbI sIt, DIVIne saCerDos,  
 10 Et ChrIstVs trIbVat Coetera CVnCta, preCor.<sup>110</sup>  
 VIVe VIR eXCeLLens, VIVant qVoqVe LIberI et VXor;  
 CVnCtIpotensqVe ILLIs Det bona Vera DeVs.<sup>111</sup>

Hoc felicitatis voto Rev. Dn. L.

Mancelium dimisit

ADRIANUS VERGINIUS Julino-Pomer.

SS. Theol. Studiosus.

93. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Christophorus Michael (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]

PROPEMPTICON

*Ergo paras, Praesul, nostra discedere ab urbe  
 Tam cito nosque tuos linquere, Praesul, aves?  
 Ergo tuae fidei, toto et TIBI corde faventes,  
 Commissas pergis linquere, Praesul, oves?  
 5 Ergo novem Musas linqvis dulcesque Camoenas;  
 Et Musis nostris his Valedicis! abis!  
 Plangite vos Musae sacrae, MANCELIUS ille  
 Vester abit, vere gloria svavis abit.  
 Plangite vos Cives, vestrum vos plangite Mystam,  
 10 Hic vos qui docuit verba verenda DEI.  
 Quem DEVS innumeris donis ornavit abunde,  
 Qui gravis in vita est eloquijque potens.  
 Cujus ab ore fluunt solatia, fluminis instar  
 Tristibus; ast poenam nunciat ille reis.  
 15 Ah quae causa fuit, quae TE, Clarissime Praesul,  
 Tam subito nostris cogit abire locis?  
 Quae fuerit mihi causa rogas, DEVS Arbiter aevi,  
 Hoc voluit fieri, ac HIC mihi causa fuit.  
 Hinc mutanda mihi sedes, quia jussa Tonantis  
 20 I procul in Patriam; Me pia Fata vocant.  
 Cunctos Fata regunt homines, per Fata coactus,  
 Desero Dorptiaci, Templam, Lycea, soli.  
 Ergo quando DEI jussu sic ipse recedis,  
 Tandem vel fiat quod pia Fata volunt.  
 25 Vade bonis avibus, Raphaël TIBI Sanctus adesse  
 Dignetur, Tobiae ceu fuit ille comes.  
 Ille viae Dux sit, cadat ut feliciter illud,  
 Praesens ingrederis quod modo Salvus iter.  
 Faxit et IMMANVEL, Subeas nova munia felix,  
 30 Munere ut hoc veniant prospera quaeque TIBI.  
 Ac multos doceas divinam voce Salutem,  
 Ambiat ut tandem pulcra Corona caput.  
 Nam jubar ut Solis, coeli in Regione micabunt  
 Justitiae multos qui docuere viam.  
 35 Sis Salvus, VIR, cumque tuis Venerande, valet,  
 Christophoroque simul perge favere tuo.*

Ita gratulatur ὁλοψύχως.

<sup>109</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens

<sup>110</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens

<sup>111</sup> Chronodistichon annum 1638 exhibens

94. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Hermannus Schwemler (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Nec te Callirhoe tenet Livona,  
 Quam pro Castalij liquore fontis  
 Dorptae Mnemosyne Satae Camoenae  
 Potant: (heu dolor) heu dicata Phoebo  
 5 Nec tardat pia gens! nec incolarum  
 Plebs posthac videat! nec ulla cura  
 Jam plebis revocat: Lycea, vobis  
 Hunc servate Virum, negate abire:  
 Nam Phoebus nivibus madensque nimbis  
 10 Tectum Phyllyrij senis subit nunc,  
 Marcescit gena amoena tota Florae,  
 Sylvarum cecidit Decus, Camoenae  
 Pulcrae, cum Satyris tacent, silet rus,  
 Non nunc celsa petunt Oreadesque  
 15 Pro di<sup>112</sup> culmina gressibus citatis  
 Et non nunc Dryades suas choreas,  
 Impigroque gradu suas Napeas  
 In pratis et agris, aquisque ducunt,  
 Nec jam jam volucres sonora circum  
 20 Lingvis ora loquaculis resolvunt,  
 Quo posses animo viam lubenti  
 Multo carpere sub virente flore,  
 Sed quaecunque videntur undiquaque  
 In campis vel in intimis viretis  
 25 Aut in vallibus, aut jugis in altis  
 Torpent omnia, cuncta moesta torpent.  
 MANCELI maneat, maneto, amate  
 MANCELI maneat! Trias verenda  
 Si vero trahit hinc; abi, tacebo:  
 30 Nam quo Fata trahunt puto sequendum.  
 Dux vitaeque viaeque sit Monarcha  
 Summus JOVA Poli, Soli, Salique.  
 Haud laedat Boreas tuum cerebrum,  
 Haud laedat sobolem, tuamque Caurus  
 35 Haud vitam (Aeole abito, abito) laedat.  
 Opto Triptolemi rotas haberes,  
 Vt talaria quae nepos Atlantis  
 Subnectit pedibus: precor, precorque  
 Cum tota videas domo senectam  
 40 Seclum Nestoreum, sat est Valeto.

Hermannus Schwemlerus Cölleda  
Thuringus. LL Studiosus

---

<sup>112</sup> *Prodi* B: forsan *Pro di*

95. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Johannes Schlechter (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

## VOTVM.

*Ito bonis avibus, MANCELI, dogmata Christi  
Vndique dispergens, ito bonis avibus.  
Teque tuosque DEVS longos conservet in annos  
Casibus in cunctis consilioque regat.*  
5 *Agmineque Angelico per cuncta pericula tutos  
Ducat, ab insidiis praesidioque tegat.*

In felix faustumque iter apposuit  
Johannes **Slechter** / Rig. Liv.

96. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Bernhardus Thesaurus (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Iova suos ducit mirando Numine Sanctos,  
Nam via Mortalis non via sancta DEI.  
Stulta hic quae nobis, simulac abjecta videntur,  
Soepe bono grata haec suntque manentque Deo.*  
5 *Evocat Abramum patria, gravitate Parentem  
Credentum, mira quem bonitate regit:  
Hinc etiam Paulum divina voce vocabat  
Vt faceret gentes dogmata nosse Dei:  
Sic quoque jam revocat TE Christus, Sancte Sacerdos,  
10 *Summi qua doceas dogmata sancta Dei.  
Hinc grator TIBI, MANCELI Reverende Sacerdos,  
Et precor ut coeptum jam bene cedat iter.**

Ex Syncero et filiali affectu apposuit  
BERNHARDUS THESAURUS  
Repp. March.

97. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Ludolphus Joachimus Bussius (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

## GEORGIVS MANCELIVS,

## LICENTIATVS.

ἀναγραμματικῶς,

I, LVGE! CANE! nam surgit is coelitus.

*I, LVGE, Dorpat! fatum lacrymabile LVGE!  
Lutherus vere jam tuus alter abit.*  
*I, LVGE Civis, LVGE studiosa Juventus!  
Lutherus vere jam tuus alter abit.*  
5 *LVGE, qui cernis viduata altaria Templi,  
Lutherus vere nam tuus alter abest.*  
*LVGE! Non LVGE, Praesul MANCELIVS inquit;  
Lutherus vere nam tuus alter adest.*  
*Hinc CANE, non LVGE: NAM qui tibi SVRGIT, IS ipse  
10 *COELITVS, en Domino sic moderante, venit.*  
*O ergo Dorpat,<sup>113</sup> Vrbs addictissima Musis,  
Gaude! quid lachrymis ora rigasse juvat?**

<sup>113</sup> Dorpat pro Dorpat B metri causa

*Hunc, tibi quem dederat Christus Pater optimus olim,  
 Iure suo tandem reppetijisse cupit.*  
 15 *Mecum vel potius tenui sic concine versu,  
 MANCELIOque Tuo fausta precare modo:  
 Vivat sacratae cathedrae decus atque Lucerna,  
 MANCELIVS, vivat, floreat et vigeat.*  
*Hinc abeat Felix, adeat sua munia faustus,  
 20 Aulicus et Praeco magnus ubique cluat:  
 Et revocet multos perversae a tramite vitae,  
 Compleat et purum servet ovile Dei.*  
*Interea Theseo qui TE reverentur amore,  
 Horum, MANCELI, sis memor; usque VALE.*

Ludolphus Joachimus Bussius,  
 Danneberga-Lunaeb.

98. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
 PROPEMPTICON

Nuper hyperboreis Mystes qui electus in oris,  
 (Quo Goldinga sui Principis arma tenet)  
 Eloquium cunctis, eheu! nunc triste relinquit.  
 Dic sodes, quale est? En tibi quale, VALE.  
 5 Quem reverenter amans coluit Dorpatica tellus,  
 Effatur tandem, *Livona terra, Vale.*  
 Pieria ambrosiaeque thymo QVO pasta Corona est,  
 Nunciat huic rursus *Livona terra Vale.*  
 Qui commissa sibi curavit pectora dictis  
 10 Salvificis, inquit, *Livona terra Vale.*  
 Quem Pimplae, quem Parnassi comitantur Alumni,  
 Nunciat huic rursus *Livona terra Vale.*  
 Ergo Vive, Vale et Custos venerabilis Arae,  
 Ipse Vale, ut dixi,<sup>114</sup> *Livona terra Vale.*  
 15 *Livona terra Vale: Ast iterum, Curonia, Salve,  
 Salve et MANCELI, perpetuumque Vale.*  
 Vive diu, Pyliosque DEVS te servet in annos,  
 Vive Sybillinos Nestoreosque Dies.

Aliud  
**Die Stadt Dörpt zum Herren**  
*MANCELIO.*

1.  
**WI e ein Hirte seine Heerde**  
 20 **Auff der grünen grase=weyd'/**  
**Wie ein Hüter seine pferde**  
**Auß der rauhen wilden heyd'**  
**Treibet auff der Blumen bahn/**  
**Da die schönsten weyde stahn/**  
 25 **Und auch stete wach' und hutt**

<sup>114</sup> *dixti* pro *dixisti* B metri causa

Für dieselbe tragen thut.

2.

30 So/ vnd anders nicht/ von denen/  
I hr O Seelen=trewster Hirt/  
Die sich thaten von euch wehnen/  
Viele habt zu recht geführt:  
Die Sünder wilt wie Pferde/  
Gebracht zu solcher Heerde/  
Alß wie Schaff' vnd Lämmer sein/  
Durch die Krafft deß worts allein.

3.

35 Sollen wir/ (wie wir dan sollen)  
Mit der warheit zeügen thun/  
Wisset/ das wir alle wollen/  
Doch nicht können/ Rechten lohn  
(Alß Jhr wol verdienet habt)  
40 Euch anjetzo legen ab:  
Danck vnd lob nehms von vns auff/  
Ubrigetz gen Himmel lauff.

4.

45 Hütt vnd wach für vnsrer Seelen/  
Wie daß Ampt erfordert hat;  
Bald mit sorgen/ bald mit quelen/  
Habt getragen früh' vnd spatt.  
Die Jugend vnterrichtet/  
Die sachen wol geschlichtet/  
Alles wart mit Ernst gethan/  
50 Alles ging den Rechten bahn.

5.

Soll dan Scheyden vns nun trennen/  
Hochgelarter Herr vnd Freündt/  
Das Jhr nicht solt bleiben Können!  
Hätten wir gantz nicht vermeint/  
55 Soll vnd muß es dan so sein/  
Das Jhr vns nun last allein/  
Ey so sey der Liebe GOTT/  
Ewer Rechter reisens Both.

6.

Alles was zu wünschen siehet/

60 **Alles was ersprieslich ist/  
Alles was zu Glücken gehet/  
Sey mit Euch zu dieser frist/  
Unsrer Jeder bleibt getrew/  
Gott auch euch alzeit erfrew/  
65 So lang biß Erd' zu Erde/  
Wieder geleget werde.**

JACOBVS LOTICHIVS,  
Riga Livonus

99. Adr: Georgius Mancelius – Aut: Johannes Kemnitiuſ (cf. 86)

LNB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Vir Reverende, sacra gravitate verende GEORGI  
MANCELI! Juvenes sic an nos ergo relinquis?  
Pavisti largo nos Sancti semine verbi;  
Vt Pater ipse animae per tempora tota fuisti,  
5 Inque Palaestinae duxisti pascua Pastor.  
Dij precium solvant: ego donec vixero, semper  
Inveniar gratus sincero pectore et ore.  
Cunctipotens adsit summi tibi Rector Olympi,  
Sospitet atque beet te Sancti Numinis aura.  
10 Hinc felix abeas, in plurima secula vivas.

In debitae reverentiae et perpetuae gratitudinis  
signum  
Johannes Kemnitiuſ Dorp.  
Livonus.

100. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Laurentius Ludenius (Scepſtris academicis, quae, /.../ in /.../ Salomonem Matthiae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ professorem Graecae et Hebraeae linguae, pro t. /.../ rectorem jam magnificum /.../ Petrus A. Schomerus /.../ pro t. exrector, publice /.../ die 17. Maij conferebat; gratulantur /.../ Musae Embecciadēs).

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

QUI CHRISTO, in terris patrio qui vixerit Orbi;  
Vixerit ille Polo; vixerit ille Solo.  
Divini vegeto Flatus Spiramine plenum,  
*Clare Vir*, hic CHRISTO vivere, cura tua est.  
5 Cura tua est, Vrbi atque Orbi bene vivere toti,  
Proximus ut rerum commoda larga ferat.  
Hinc rediviva Polo tua vis post funera vivet,  
Nominis et clari vixerit aura Solo.  
I modo: Magnifici venerandas muneris intra  
10 Delicias: CHRISTO Praeside, Sceptra gere!

Quod ex animo p.  
LAURENTIUS LUDENIUS, Holsat. PH. et  
J.U.D. Professor Juris, Oratoriae et Poëseos.

101. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Jacobus Balccius (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Sic Deus Omnipotens quos vult attollere, clemens  
Multiplici rerum conditione beat.  
MAGNIFICE O RECTOR; manet experientia testis,*

5 *Et praesens certam res facit ipsa fidem.*  
*Laude Magisterii clares: audisque Professor:*  
*Inde Ministerii Laude beatus ovas.*  
*Conjugio gaudes felici; proleque gaudes:*  
*Et jam Magnifico Rector honore vires.*  
 10 *Sextuplici gaude cito conditione beatus:*  
*Et diuturna Deus det bona tanta tibi.*

Quod ex animo vovebat  
 JACOBVS BALCCIVS Gryphswald. Pom.  
 Conrector Schol. Reg. Dorpat.

102. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Johannes Adeler (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Gratulator ex animo fascies, Reverende Magister,  
 Inclyta quos tradit Dorpata nostra tibi.  
 Coepta ut perpetuo feliciter omnia cedant,  
 Orabo Sanctum pectore et ore DEUM.

Johan. Adeler Jud. supr. Registr.

103. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Adrianus Verginius (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Qvod tibi Magnificam suspendit Apollo coronam,*  
*Proque Magistratu te Studiosus habet;*  
*Gaudeo, et ex thalamo merito tibi pectoris imo*  
*Gratatur miris Musula nostra modis.*  
 5 *Gaudeo, salvantis quia clangis buccina Verbi,*  
*Atque Academiaci buccina clara chori:*  
*Musarum (Invidiae quamvis nunc livida tabes*  
*Aegre tanta ferat praemia) Rector eris.*  
 10 *Eja honor iste novus tibi commoda germinet ampla,*  
*Omne felici teque tuosque beet.*

Id quod animitus precatur  
 ADRIANVS VERGINIVS Iulino-Pomera-  
 nus S.S. Theol. Studiosus, Sch. Sen. Dorp.  
 Moderator.

104. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Joachimus Heinsius de Girbessdorff (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

MATTHIAE SALOMON, fidus sim mysta sacrorum,  
 Magnifici cepit munia prima novi:  
 Nostra diem hunc faustum gratatur Musa, Magister,  
 Votorumque tibi paucula thura litat.  
 5 Vive diu, felix nobis, dignissime Rector;  
 Vive, ac in laudem cresce subinde DEI.

Debitae observantiae ergo vovet  
 JOACHIMUS HEINSIUS de Girbessdorff Gor-  
 licio-Lusato-Hexapolitanus.

105. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Petrus Langius (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

M. Salomon Matthiae Rector Magnificus.  
 ἀναγράμμ:  
 SIC FIT HONORE; CANTATE SUMMAM GLORIAM.

*Immensam seriem gravium subit ille laborum  
 Aurata sceptrā qvi petit:  
 Condignos tamen is semper deportat honores  
 Aurata sceptrā qvi petit.*  
 5 *Sceptrā capis Phoebi; felix Academicus Hercules  
 Diceris omni tempore.  
 Sceptrā capis Phoebi, SIC laus FIT dulcis HONORE:  
 CANTATE SVMMAM GLORIAM.*

## Sonnet.

10 **Wer schon ein schweres Ampt auff sich hatt/ das er führet  
 Der meidet alles das/ was leichtlich jhn beschwert/  
 Wer sichern fried vnd Ruh bey seinem Ampt begehrt  
 Der hütet sich mit Fleiß für dem/ daran er spüret  
 Noch grösser vngemach. I hr habe bißher gezieret  
 Die Kirche mit der lehr; I hr habt bißher ernehrt  
 15 Die Musen mit der Sprach; Nun wirt euch mehr gewehrt:  
 Des Phoebus Scepter Schmuck mit fugh euch auch gebuhret/  
 Das Ampt dat woll vnruh/ es hat woll vngemach/  
 Doch muß es also sein/ Hochnötigh ist die Sach;  
 Das böse muß gestrafft/ das Gutt befördert werden.  
 20 Weil I hr dann Friedlich seit am Nahmen an der That  
 Das I hr beim Scepter Ampt/ habt friede früh und spatt  
 Das gebe Gott der Herr vom Himmel euch auff Erden.**

Ita vovebat ex animo  
 PETRVS LANGIVS Dithmarsus Holsatus  
 SS. Theol. Studiosus.

106. ADR: Salomon Matthiae – Aut: Johannes Schlechter (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Sed tibi quid grater? cum tot virtutibus auctus  
 Excedas laudes, quas mea Musa capit.  
 O si dictaret mihi carmina splendida Phoebus!  
 Hoc facerem, Pietas quod jubet atque Decus.  
 5 Et, precor, ut prosint Divinae laudis honori  
 Sceptrā: tuis meritis Cresce, vigesce diu.  
**EY/ das ich Zihrllich könt' wie ich zwar billig solte/  
 Mit sichs gezihmte Recht/ vnd ich auch gerne wolte;  
 I ch wolt' beschreiben jetzt/ die Weißheit vnd jhr lohn/  
 10 Dessen ein Spiegel ist *Magister Salomon.*  
 I ch wündsche/ sag ich noch/ das ich jhm zu gefallen/  
 Wie ichs von Herten mein/ in seinem Lobkränt' wallen  
 Welches er würdig ist. Aber ich mercke schier  
 Das mein verstand zu schwach vnd Ohnmechtig alhier/  
 15 Sincken vnd weichen muß/ weil ich nicht kan ersteigen  
 Die Zinnen seines Ruhms/ verstummend auch muß schweigen/  
 Sie seind mir gahr zu Hoch; hergegen meinen Sin  
 Befind ich viel zu eng. I ch mag mich wenden hin**



20 **Wo ich nur immer will/ kan ich doch nirgends finden  
Bequemer Worten zier den Scepter zu bewinden.**

VOTUM.

**Doch Wünsch' ich das der GOtt/ der Euch erhalten hatt  
Von ewrer Jugend an/ Euch helffe früh und spatt.**

**Auß schuldiger pflicht Wünschet solches**  
Johannes **Schlechter** / Rig. Liv.  
SS. Th. Ph. Stud.

107. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Johannes Vallander (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Boni DEUS Creator omnis unicus  
Salutis una semita  
Pios fovet, minora sive grandia  
Gerant agantve munia.  
5 **MAGISTER** ecce **SALOMON DEI** pius  
Minister atqve **Pierii**<sup>115</sup>  
Amata portio Chori, sat edocet  
Et arte comprobata sacra.  
Proinde voce et intimis DEO feram  
10 Pias preces suspirijs.  
Adaucta honore fama ut indies volet  
Omnes per orbis angulos.  
Adsit Bonis pressis asylon, anchora,  
Et usque fidus arbiter.  
15 Beetqve eum Jehova solus aetheris  
Freti Solique conditor.

Debitae observantiae et honoris ergo apposuit  
**JOHANNES Vallander.**

108. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Hermannus Schwemlerus (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvis tecum gladios in praelia ferret Enyo  
Tempora ni Deli frondis honore micent.  
Dulcia quis plena Parnassi flumina fauce  
Duceret, et biberet Bellerophontis aquas.  
5 Ni DEA Rhamnysis dubiis super astra quadrigis  
Et ter tres ducant ex Helicone Deae.  
Sceptra igitur cum Fortuna Patrima virago  
Quae dat, sume, Polo ac gente jubente scholae.  
AT tenues MOMO SINT ALAE, sidera nunquam  
10 Quo petat haec; Sceptrum commoda multa vehat.*

**HERMANNUS SCHWEMLERVS**  
Colleda Thuringus, L.L. Stud.

109. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Georgius Goetschenius (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

<sup>115</sup> *PierIU* metri causa

Salve laeta dies positis exorta calendis,  
 Qua promulgantur Dorpati scepra Licei!  
 Salve laeta dies! Plausum ingeminate, canorum  
 Qui Sacramentum dixistis ad acta Licei.  
 5 Quod felix faustumque siet, Pietate Verendus  
 Et Sophiae et Christi Doctor, sacra scepra Licei  
 Acceptat SALOMON MATTHIAE: Praeside Christo,  
 Hoc Embecciaes laetentur honore Camoenae.  
 Salve laeta dies. Felix Academia, Salve:  
 10 Salve, Magnifico semper cumuleris honore;  
 Salve; rite vige; Seros mirare nepotes.  
 Dulcis honos, nomenque Viri laudesque triumphant.

Gratulabund. f.  
 GEORGIUS GOETSCHIUS Stetin.  
 Pom. LL. Stud.

110. ADR: Salomon Matthiae – Aut: Bernhardus Thesaurus (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Thespiadum quamvis me non fovet alma caterva,  
 Nec mea Castalio venula rore fluit:  
 Non tamen omnino potui sine voce silere,  
 Carmine dans votum cordeque et ore breve.  
 5 Dent Superi vitam; vires dent, huncce laborem  
 Herculeum superes, Vir Reverende, Vale.*

Felicis congratulationis ergo f.  
 BERNHARDVS THESAURVS  
 Repp. March.

111. ADR: Salomon Matthiae – Aut: Johannes Kerstens (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*M. SALOMON MATTHIAE ECCLESI:  
 Per ἀνάγραμμα,  
 MOLEM LENI; ECHO: AC MITTAS.<sup>116</sup>*

Dum nemora en vario peragrans Heliconia passu  
 Res meditor varias mente querente meas.  
 Tandem sollicitus sat, sollicitare volebat  
 Ipsa Deum precibus vox gemebunda meis.  
 5 ECHO sed alternis vicibus resonabilis ornat  
 Dum memorat cunctas resque precesque meas.  
 Ordior; Alme Deus, ne linquas vociferantem,  
 Sed MOLEM LENI, rettulit illa sed I.  
 Quorsum me ire jubes, forte in nemora; obtulit, ora.  
 10 Oro sed orantem tuque juvabis; abis.  
 Non abeo, donec tua vox resonabilis ipsa  
 Votum quod cupio, comprobat: illa, probat.  
 Si probat, ergo bene est, et jam remanet; Manet, illa:  
 Nescio quid remanet, rettulit, id remanet.  
 15 Id remanet precibus pergam, mea vota que fundam,

<sup>116</sup> Anagramma non recte constructum

*Fundam; tu modo si, deruis; illa, ruis.*  
 Heu ruo! nunc LENI MOLEM; AC MITTAS, Deus alme,  
 AC MITTAS, ECHO rettulit, et siluit.  
 Sic siluitque cito: siluit quod proferat ECHO,  
 20 Sicque cito MOLIS pondera quaeque ruunt!  
 Aër quippe sonum percussus spargit acutum  
 Haud secus et MOLE hac lausque decusque viget.  
 Alme Deus, MOLEM qui ponis quique reponis  
 Fer quaeso impositum fer quoque depositum.  
 25 Nam quodcunque siet, tecum tamen haud onus impar,  
 Quisque ferente manet, teque manente feret.  
 Johannes Kerstens Lib. Curl.

112. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Ludolphus Joachimus Busse (cf. 100) UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Nescit ceu vasti volitare per aequoris undas,  
 Cui Palinurus abest, sit licet alta, ratis;  
 Sed variis alto jactatur gurgite ventis,  
 Dum quassata nimis naufraga facta perit:*  
 5 *Sic quoque cara ratis, Musarum sella, beatum  
 Non tanget portum, Praesule quando caret.  
 Praesule quando caret, virtutem tollat honore  
 Qui vitiumque premat, non ovat ulla Schola.*  
 10 *O felicem igitur, quae te Duce, Praesule quae te,  
 Vir Reverende, ratis carbasa dat Zephyro!  
 Haec nunquam scissis alis quassata redibit,  
 Optato cursu littora tuta premet.*  
 Quod animitus vovebat  
 Ludolphus Joachimus Busse,  
 Lunaeburgensis.

113. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Hermannus Reder (cf. 100) UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Magnifice o Rector; sic summo Praeside Christo  
 Illa Academiae habes Sceptra beata sacrae?  
 Applaudit concors venerandi Turba senatus,  
 Applaudit votis et studiosa cohors.*  
 5 *Ipsè Deus tantos felices servet honores,  
 Magnificum semper re meliore beet.*  
*Sic sublimis honos, et laus ventura manebunt;  
 Officioque sacro sceptra beata manent.*  
 Quod unice vov.  
 HERMANNVS Reder  
 Liv. Dorpt.

114. Adr: Salomon Matthiae – Aut: Johannes Günterberg (cf. 100) UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Magnificum ex animo toto tibi grator honorem,  
 Quem meruit Pietas, et Deus ipse dedit.  
 Musae Embecciaades laetantur, et usque precantur,  
 Magnifico vivat Rector honore Novus.*  
 5 *Vivat; et instantes feliciter exigat Annos:*

*Atque, Juvante Deo, commoda multa ferat.*

Quod precabatur unice  
JOHANNES **Günterberg** /  
Nob. Liv.

115. ADR: Salomon Matthiae – Aut: Christophorus Günterbergius (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Clare Vir, et Christi multum Reverende Sacerdos,  
Sit faustum et felix, quod Sancto clarus honore  
Magnifici Rectoris abhinc feliciter intras.  
Ipse DEUS vitae det longos, comprecor, Annos,  
5 Et beet optato pulcerrima scepra triumpho.*

Ita ardentem vovebat  
Christophorus Günterbergius  
Nob. Livon.

116. ADR: Salomon Matthiae – Aut: Jacobus Scott (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Aonidum sacra turba tibi, Reverende Magister,  
Magnifico defert Rectori munera mentis  
Gratae. Quid tacitus lateo? tenuis licet adsit  
Vena; Sat in magnis est et voluisse. Precabor:  
5 Sis felix, faustus, sint et felicia scepra:  
Vivas et vigeas, celebrent tua scepra Nepotes.*

Quod unice precabatur  
JACOVS **Scott** Nob. Liv.

117. ADR: Salomon Matthiae – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ETEOSTICHON VOTIVVM.

ECce bIs ILLVXIIt feLICI HorosCopVs anno;  
BIna gerIs LaVta regIa sCeptra ManV.<sup>117</sup>  
I bene bIs faVstVs nobIs sIs bIsqVe paternVs  
I bene, naM faVsto sors peDe CVrrIt Iter.<sup>118</sup>

Vt bene ominabatur  
JACOBUS LOTICHIUS Riga Liv.

118. ADR: Salomon Matthiae - Aut: Fridericus Heinius (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Avspice quod Christo sis, Vir Clarissime, Rector  
Magnificus nostri factus per vota Lycei.  
Gratulor, atque opto secum faustissima quaeque  
Sparta trahat, quam jam nactus, fortunet Jēsus.*

Quod votum vovebat  
Fridericus Heinius Rostochio  
Megap.

119. ADR: Salomon Matthiae – Aut: Michale Scultetus (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Plaudite Io Musae! sub epomide veste Livonum.

<sup>117</sup> Eteostichon annum 1638 exhibens

<sup>118</sup> Eteostichon annum 1638 exhibens

Plaudite Dorpati clara Lycea loci.  
Magnificus Rector SALOMON Pietate Magister  
Ecce reget Clarium per nova scepra chorum.  
5 Turba Camoenarum vigeat. Florescit ut annus  
Majo sic sceptrum floreat usque sacrum.

Gratulabundus calente affectu  
apponebat  
Michael Scultetus Gorlicio-  
Lusatus.

120. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Isaacus Sicrenius (Disputatio theologica de cultu sanctorum; quam, /.../ in Regia Livonum /.../ Academia, sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ publicae ventilationi submitit author et respondens, /.../ Nicolaus Olai Calmariensis. /.../ die <30. Augusti> anni 1638. Dorpati, 1638: Typ. acad)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ad Clariss. et Praestantiss. Virum juvenem*  
Dn. M. NICOLAUM OLAI, Calmariensem Svecum, S.S. Theol. Candidatum, amicum sincere dilectum, de Cultu et Invocatione Sanctorum erudite et feliciter disputantem.

*Numina ficta colunt vani conamine vano;  
Monstrare, ingenij, ut sit veneranda Trias.  
Ingenij magni est, Quod praeclara arte, Magister,  
Assequeris; maneat te decus inde novum.*

Ex animo gratulabar  
M. ISACUS SICREN. Holm

121. Adr: Nicolaus Olai – Aut: Petrus Anundi (cf. 120)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Murmure cur tanto SANCTOS venerantur obesi  
Papicolae? quid opem et subsidium inde petunt?  
Quaerunt in plaustis meritorum coelicolarum,  
Cum fuerint homines sorte sua fragiles:  
5 Qveis miserae sortis minime fluctusque adaperti,  
Hosce vocare Deos pagina sacra vetat,  
Et negat id Clarus NICLAUS Dogmate Sacro,  
Mystica qui calamo vindice bella gerit:  
Ausonij ventres, CHRISTI descendite tectis,  
10 Unicus hic Pastor, ceu Mediator, erit.  
Pro lacrymis hominum fuis sancta ora resolvit,  
Errati et veniam supplice voce rogat.  
Perge sacris studijs, Decus immortale Sophorum;  
Certo: te certo Mystea sarta manent.

Veteris et sincerae necessitudinis contestandae E. adjiciebam  
Petrus Anundi, Calmaria  
Gothus.

122. Adr: Ambrosius e Palma – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de virtute heroica: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 2. die Martij, anno 1638 /.../ enarrabat Ambrosius e Palma, /.../. Dorpati Livonorum 1638: Typ. acad)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Nobiliss. et Doctissimo*  
*Dn. PERORANTI.*  
 AMBROSIVS E PALMA:  
*Per Anag.*  
 LABOREM VIS, AMAS.

*Ambrosiae succus et odoriferam panaceam*  
*Semper AMAS et VIS sanctum, ceu Palma, LABOREM.*  
*Sic faustum! Sic te majoribus ire per altum*  
*Auspicijs manifesta fides et Numina poscant!*

Quod animitus p.  
 LAURENTIUS LUDENIUS J. V. D. et Professor.

123. Adr: Ambrosius e Palma – Aut: Isacus Sicrenius (cf. 122) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Gnaviter exponis, virtus Heroica quae sit;  
 Indolis ah tantae, Magnus ADOLPHUS erat!  
 Heros GUSTAVUS! cecidit! sed morte triumphat:  
 Morte sua victor vivit; honore viget.  
 5 Tu nunc, Ambrosi, vireas ceu Palmes amoenus,  
 Dicendi Ambrosia et Nectar ab ore fluat.  
 Amoris et moris ergo apposuit  
 M. Jsacus Sicrenius, Holm.

124. Adr: Ambrosius e Palma – Aut: Ericus Matthiae (cf. 122) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Heroicae virtutis apex virens*  
*Multum venustis frondibus eminent:*  
*Ut Palma sustollit procerum*  
*Per nemus omne suum cacumen.*  
 5 *Ad hunc volet qui scandere verticem,*  
*Aetate prima exertijs vacet*  
*Tenax Decori, et Literarum*  
*Cultor et assiduus laboris.*  
*Hunc seu vocent in castra virum tubae,*  
 10 *In curiam seu discupiat gradi*  
*Seu vineam Christi, cupitos*  
*Dexter aget referendo fructus.*  
*Sic perge felix, quo tua te vocat*  
*Virtus decens, mi PALMES, et insere*  
 15 *Te floridis palmis, et instet*  
*Usque labor tibi ferre palmam.*  
 Animitus apprec.  
 Ericus Matthiae Roslagia Sv.  
 Philos. Candid.

125. Adr: Hermannus Reder – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de Justitia universali: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 23. die Februarij, anno 1638. /.../ enarrata abs Hermannus Reder, /.../ - Dorpati Livonorum, 1638: Lit. acad.) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo Dn.*

## PERORANTI.

Perge, velut pergis: Resonent fora laudibus Aequi,  
*HERMANNE, Eunomiae deliciosa Venus.*  
 Perge; acues lingvam causis, et civica jura  
 Compones: totum voce forum inde reges.

Quod animitus p.  
 LAVRENTIVS LVDENIVS  
 J. V. D. et Professor.

126. Adr: Hermannus Reder – Aut: Jacobus Balccius (cf. 125)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Justitia nihil utilius vel majus habetur,  
 Pulchrior ut certam res sacri ipsa fidem.  
 Imperium servat, conservat tempora pacis;  
 Et bellum certo temperat arbitrio:*  
 5 *Accumulat res privatas: Communia jura  
 Integrat; atque orbem firmat et auget ope.  
 Felix qui tantos, perdocte HERMANNE, Triumphos  
 Insequeris dextre, praemia magno feres.  
 Assertor sancti Juris diceris et Aequi,*  
 10 *Et tua post cineres fama perennis erit.*

Quod unice p.  
 JACOBUS BALCCIVS  
 Gryphswald. Pom. Schol. Reg.  
 Trivialis Conrector.

127. Adr: Hermannus Reder – Aut: Adrianus Verginius (cf. 125)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Sermo index animi; loquitur quia quisque libenter  
 Illis de rebus quibus oblectatur; Alumnum  
 Audivi Martis memorantem vulnera; formam  
 Virginis egregiam laudabat Amator; abundans  
 5 Divitijs nummos positos in foenore narrat.  
 Ast meus HERMANNUS Juris Studiosus et Aequi,  
 Justitiae docto laudes sermone probavit.  
 Non, de Justitia tantum qui disseris, amplum  
 Nomen habes Justi, Justum tractare memento,  
 10 Quale solent Justi; capiesque feresque brabeum.

Properante calamo Dn. Peroranti  
 haec adp.  
 Adrianus Verginius, Julino-  
 Pomeranus, SS. Theol. Studiosus, Scholae  
 Senat. Dorpat. p.t. Moderator

128. Adr: Hermannus Reder – Aut: Petrius Langius (cf. 125)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Hermannus Reder Dorpatensis Livonus.  
*Per Anagrammatum Triadem.*

*Is dolus! ah viderunt! non errans semper.  
 Plus reddunt homines; an res? Enarro jus.  
 Nil addens, par justum; heus non errores.*

Is dolus *in terra*; ah! viderunt *pessima multi*:  
 Non errans semper, *quique refutet, erit*.  
*Non juris reddunt homines plus, an bona res sit?*  
 Enarro *praesens, jus ratione vetus*.  
 5 Nil addens *aliud, par justum crescet in orbe*;  
 Heus, non errores *dicere mens mea sit*.

Petrus Langius Dithmarsus Holsatus, SS. Theol. Studiosus.

129. Adr. Hermannus Reder – Aut: David Cunitius (cf. 125)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Ad Dn. Perorantem  
 προσφώνησις.

*Carum delictum Virginibus novem,*  
*O REDERE, mihi crede, tuis genis*  
*Quare perpetuus pallor inhaeserit*  
*Nescivi ante ego: nunc causa mihi patet.*  
 5 *Audi, (ignosce tamen:) Mens tua Virginem*  
*Formosam atque Piam deperit unice.*  
*En, quaeso, ingenuus quam pudor occupet*  
*Integram faciem! ad Verba stupes mea?*  
*Res salva est; Juvenem te quoque Virgo amat,*  
 10 *Virgo JVSTITIA est, orta toro Jovis,*  
*Cunctis atque Dijs quotquot Olympica*  
*Laeti regna tenent cara verendaque.*  
*Certe hanc quis si hominum laeserit impius,*  
*Mox accusat eum nescia parcere,*  
 15 *Ut peccata luat Maximum apud Deum.*  
*Res o magna nimis connubio sibi*  
*Exoptare Jovis Filiam amabilem!*  
*Haec oratio perdocta tua indicat.*  
*Constans Tu esto Procus, pollicita et fidem*  
 20 *Serva, oraque DEUM: connubium Tibi*  
*Sic foelix erit hoc, prosperum et alterum.*

Deproperavit  
 David Cunitius, Pom. Med. Stud.

130. Adr: Hermannus Reder – Aut: Hermann Schwemler (cf. 125)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

HERMANNUS REDERUS  
*Per Anagr.*  
 DE RE REN SURSUM NA!<sup>119</sup>

*Suada Themis decorat, (decus) inquis dulciter: hacce*  
*DE RE REN SVRSVM NA: bona Triga juva.*

Hermannus Schwemlerus, Cölleda-Thur. LL. Stud.

<sup>119</sup> Anagramma non recte constructum



131. Adr: Henricus Johannes Schepperus – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de tolerantia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 23. die Junij, anno 1638. /.../ enarrabat Henricus Joh. Schepperus, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, RNB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrina et Pietate Ornatissimo*  
*Dn. PERORANTI.*  
 HEINRICUS SCHEPPERUS,  
*Per Anag.*  
 HINC SPES HVIC RE RVPES.

*Pressus! ab exemplis discit SPERARE salutem,*  
*Tota ubi SPES stabili quaeritat ore Deum.*  
*HINC et HVIC SPES RE RUPES: SPES ardua mentem*  
*Extrahit, et felix in Bonitate Dei est.*

Quod precab.  
 LAVRENTIVS LVDENIVS, J. V. D.  
 et Professor

132. Adr: Henricus Johannes Schepperus – Aut: Ericus Matthiae (cf. 131)

SKB, UUB, Växjö LB, RNB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Adversa quem non sors premit, haud voces  
 Semper beatum: soepius occupat  
     Nomen beati, qui malignam  
     Ferre vicem patienter audet.  
 5 Adversa dilectis Deus injicit  
 Suis, Paterni est sors ea coelitus  
     Favoris arrha, et non furorem  
     Flammivomum volat instar ignis.  
 In Christum amoris conscia mens pij  
 10 Quemvis sibi casum reputat lucro:  
     Spreti memor formido recti  
     Deteriora sibi ominatur.  
 SCHEPPERE, fatum durius, est leve  
 (Sicut peroras, propositi tenax  
 15 Onus pio affectu ferendi)  
 Quando pati mala fortis audes.

Animitus gratulantur  
 ERICVS MATTHIAE Roslagia Svecus,  
 Philos. Candid.

133. Adr: Henricus Johannes Schepperus – Aut: Elaus Christierni (cf. 132)

SKB, UUB, Växjö LB, RNB, [Tartu UB]

GRATULATIO

HEINRICUS SCHEPPERUS.  
*Per Anag. h. h. omis.*  
 IN CRUCE SPERES PIUS.

*Accipe onus leve, svave jugum cape, si comes esse*  
*Noster aves, inquit Spes mea, Vita, Salus.*  
*Tollo jugum; me, Christe, juva modo pondere fessum*  
*Ferre crucis molem quo valeant humeri!*

5 *Auxilio, Bone Christe, tuo mea sarcina pluma est;  
Te Duce ero vincens IN CRVCE perpes herus.  
Il bene ferque CRVCEM: Christo Duce et Auspice Christo,  
IN CRVCE tu SPERES, ut decet, usque PIVS.*

Contubernali suo svavissimo, moris,  
Honoris, et amoris ergo app.  
ELAVS CHRISTIERNI,  
Revalia Livonus.

134. Adr: Henricus Johanni Schepperus – Aut: Olaus Duncanus Junior (cf. 132)

SKB, UUB, Växjö LB, RNB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Non hic defletur Turtur! Sed floridus artus,  
Magna tui, Frater, pars lachrymanda, jacet!  
Illa jacet! qua vel nunquam caruisse juvaret;  
Quae tibi cottidie commoda, ferret opem.  
5 Id tristes deflent Socij charique Parentes,  
Id tristes deflent Frater, amica Soror!  
Quid facies autem jam, mi SCHEPPERERE Sodalit:  
Rem committe DEO, subjice teque DEO.

Ex Amore  
more  
ore  
re  
animitus  
quavis fausta  
precat,  
OLAUS DUNCANUS Junior,  
W. Svecus.

135. Adr: Ericus A. Schomerus – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de prudentia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 2. die Junij, anno 1638. publice /.../ recitabat Ericus A. Schomerus, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctissimo et Humaniss.  
Dn. PERORANTI.*  
ERICUS ANDREAE SCHOMERUS;  
*Per Anagr:*  
HAC RE MVSAE DECUS, ORNERIS.

*Sic placeat studijs animum efformare Platonis,  
Et rerum prosit dicere posse vias!  
HAC RE tu MVSAE DECUS hinc ORNERIS. Amice  
Omnia docta Venus, docta Minerva probat.*

Quod ap.  
LAURENTIUS LUDENIUS, J. V. D. et Professor

136. Adr: Ericus A. Schomerus – Aut: Esbernus A. Leimonius (cf. 135)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Bello quid valeant, Ajacis, fortis Achillis  
Arma? nihil; sunt vel vulnera vel cita mors.  
Sed si pugnatum Prudens comitetur Ulysses,  
Et quae sunt Martis viribus apta notet,

- 5 Tunc felix et praecaute pugnabit uterque  
 Heros intrepidus, Martis in orbe decus.  
 Prudentum scribis quia, SCHOMERE o Popularis,  
 Virtutem, sis Empiricus ipse simul.  
 Prudentes per te vigilent; tibi gloria crescat  
 10 Et decus aeternum. Hinc Vive Valeque diu.  
 Festinanti fraterna tamen manu, apposuit  
 ESBERNUS A. LEIMONIUS, Roslagia-Svecus.

137. Adr: Ingemarum Petri Smetander – Aut: Ericus Bobergius (Oratio de artium liberalium iucunditate et utilitate: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 13. die Aprilis, anno 1638. publice /.../ enarrabat, Ingemarum Petri, Smetander, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.)  
 SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

- Nobile Pierij decus, o Ingmare, Theatri,  
 Nomine Virtutis te mihi junxit amor!  
 Non ignota fero: Parnassi montis Alumnas  
 Ingenij mira dexteritate colis!*  
 5 *Praetereo: grato pollentis flumine lingvae,  
 Illas elogio tollis ad astra Poli.  
 Pergito, Palladias caput exeruisse per Artes,  
 Laudibus et Musas concelebrare sacras:  
 Hinc potes illarum tibi conciliare favorem,  
 10 Et Docti Juvenis nomen habere viri;  
 Hinc potes adversae sortis pulsare procellas,  
 Laetitiam et gentis corde ciere tuae.  
 Quid jam plura canam? faveat clementia Christi,  
 Hinc potes arbitrio subdere plura tuo.*  
 Votum in felicem abitum et reditum.

- 15 *Quae tibi mens quaeso est, perdulcis Amice Smetander!  
 Nunc repetes patrij moenia grata soli?  
 Esto: Deum pleno qui dirigit omnia nutu,  
 Ex animo toto per pia vota voco;  
 Ut reditumque abitumque tuum terraque marique,  
 20 Auspicio optato prosperet ipse. Vale.*

Non tam moris quam honoris et a-  
 moris ergo adjecit  
 Ericus Bobergius W-Gothia Svec.  
 Illust. et Gen. Dn. An. Er. H.  
 Gub. Rig. Liv. Stipend.

138. Adr: Ingemarum Petri Smetander – Aut: Ambernus Andreae Storch (cf. 137) SKB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Frater, amicitia stabili mihi juncte, Smetander,  
 Divinis Musis pectora nata geris.  
 Musas tu, magna Juvenum praesente caterva  
 Doctorumque virum, pectore et ore canis!*  
 5 *Insta Pierides Svada celebrare perenni,  
 Illarumque sacris invigilare choris;  
 Donec foecundae svavissima gratia lingvae,*

*Aspirante Deo, crescat in orbe tibi.  
Jam Natale solum, Christo Duce, visere perge;  
Auxiliante Deo, sic bene cedit iter.*

10

Amico certissimo, Sympatriotae svavis-  
simo, convictori jucundissimo,  
synceri animi testificandi gratia  
reliquit  
AMBERNUS ANDREAE **Storch** /  
Mariaestadius.

139. ADR: Ambernus Andreae Storch – AUT: Henricus Martini Kemner (Oratio de invidia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 21. die Februarij, anno 1638. publice /.../ habebat Ambernus Andreae Storch, /.../ - Dorpat, 1638: Typ. acad.) SKB, H, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

*Ornatissimo et Praestantissimo  
Viro-Juveni*

DN. AMBERNO ANDREAE  
**STORCH**/ de tetro INVIDIAE vitio do-  
cte et methodice declamanti.

*Formosam Venerem doctus bene pinxit Apelles  
Olim, quo Mneme non moritura foret.  
Prorepit Momus, pulchram versatque tabellam,  
Tunc, Sandalia, ait: sunt male picto Deae.  
INVIDIAM pingis propriis, AMBERNE, cerussis;  
Picturam tamen hanc carpere, Mome, nequis.  
Pingere sed quis te docuit? tu diceris AMBERN,  
Ursi sylvestris denotat illud opus.  
Quid miror? Tu jam nutricum (**Am.**) lacte cibatus,  
Mitior es factus, tu Invidiamque fugis.  
Perge feros animos, crudos depingere mores,  
Diceris haudque ursus, carnivoraxque lupus.  
Exhilaras alios, ipsum te laude coronas,  
Conatuque tuo praemia digna feres.*

5

10

Moris et Honoris ergo  
apposuit  
HENRICVS MARTINI KEMNER,  
Praesidij Dorpat. Pastor.

140. ADR: Ambernus Andreae Storch – AUT: Ericus Matthiae (cf. 139) SKB, H, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

Non secus ac pullos serpente Ciconia nutrit,  
Sic alma se virtus alit.  
Invidia osonante famem ac explente: nocere  
Quodcunque garrat invidus,  
Id trahit ad laudem sibi mox sectator Honesti,  
Vigore livorem atterens.  
Sic alere Invidia, mi AMBERNE Industrie, et  
Valeto prosper omine.

5

Syncere applaudebat  
ERICVS MATTHIAE  
Roslagia Sv. Philosoph. Candid.

141. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Ericus Haquini Bobergius (cf. 139)

SKB, H, [UUB, Tartu UB]  
GRATULATIO

*Non ignota cano. Vitii qui foeda venena,  
 Eloquio pollens, ore decente notat;  
 Is sibi conciliat celebris praeconia laudis,  
 Et quaerit famae nomina clara suae:  
 5 Hoc, AMBERNE, facis, verae Virtutis amator,  
 Atque animo suavis Sympatriota mihi;  
 Dum facili lingua, Docta praesente corona,  
 De Tristi Invidia, verba diserta refers.  
 Perge Novenarum Decus immortale Sororum,  
 10 Nestoris, Invidiae dicere dira, sonis!  
 Coepta juvet Christus, supremi Patris Imago,  
 Cui pectus nullo felle madente fluit:  
 Sic juvet, ut doctus redeas ad tecta paterna,  
 Et fias genti splendida stella tuae!  
 15 Quid? juvet abrupto laudatae stamine vitae,  
 Ut fias rutilo splendida stella polo.*

*Invidiae mos est morsulacerae perenni  
 nInvidiae mos est morsulacerae perenn  
 vnInvidiae mos est morsulacerae peren  
 20 ivnInvidiae mos est morsulacerae pere  
 divnInvidiae mos est morsulacerae per  
 idivnInvidiae mos est morsulacerae pe  
 ae idivnInvidiae mos est morsulacerae p  
 mae idivnInvidiae mos est morsulacerae  
 25 omae idivnInvidiae mos est morsulacera  
 somae idivnInvidiae mos est morsulacera  
 es omae idivnInvidiae mos est morsulacera  
 ses omae idivnInvidiae mos est morsulacera  
 tses omae idivnInvidiae mos est morsulac  
 30 mt ses omae idivnInvidiae mos est morsula  
 omt ses omae idivnInvidiae mos est morsul  
 romt ses omae idivnInvidiae mos est morsu  
 sromt ses omae idivnInvidiae mos est mors  
 usromt ses omae idivnInvidiae mos est mor  
 35 lusromt ses omae idivnInvidiae mos est mo  
 alusromt ses omae idivnInvidiae mos est m  
 calusromt ses omae idivnInvidiae mos est  
 ecalusromt ses omae idivnInvidiae mos es  
 recalusromt ses omae idivnInvidiae mos e  
 40 arecalusromt ses omae idivnInvidiae mos  
 rarecalusromt ses omae idivnInvidiae mo  
 erarecalusromt ses omae idivnInvidiae m  
 perarecalusromt ses omae idivnInvidiae  
 eperarecalusromt ses omae idivnInvidi  
 45 reperarecalusromt ses omae idivnInvid  
 ereperarecalusromt ses omae idivnInvi*

*nereperarecalusromtsesomaeidivnIn v  
nnereperarecalusromtsesomaeidivnIn  
innereperarecalusromtsesomaeidivnI*

Hac synceri animi declarandi cau-  
sa apposuit  
ERICUS H. BOBERGIUS W-Gothia  
Svecus, Illust. et Gen. Dn. An. E. H. Gub.  
Rig. Liv. Stipend.

142. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in gloriosissimam Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi resurrectionem: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ ipso die Paschatos, /.../ anno 1638. /.../ publice /.../ enarrabat Ambernus Andreae Sorch, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo DN. PERORANTI.*  
**AMBERNUS ANDREAE STORCH;**  
*Per Anagramma,*  
**REM TENDAS, REBVS ANCHORA.**

*Tertia lux oritur: devicta Morte resurgit  
CHRISTVS, et Inferno Victor ab hoste redit:  
Atque Pios tumulis educit; vivere secum  
Coelestisque jubet lucis honore frui.*  
5 *AMBERNE, o tantam REM TENDAS ore diserto;  
Spes tanta humanis ANCHORA REBVS erit.*

Quod grat. app.  
LAVRENTIVS LVDENIVS, Ph.  
et J. V. D. et Professor.

143. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Heinricus Martini Kemner (cf. 141)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Arma Virosque canant alij, et praeconia Martis,  
Atque notent Regum ac facta stupenda Ducum;  
Extollant valde tumidos ratione Sophistas,  
Rite Sophum tricas expediantque plicas.  
5 Scribant? sed quid sunt? paleae sunt quisquiliaeque;  
Atque nuce est cassa vilior ille labor.  
Sed tu sacra canis, CHRISTI celebrasque triumphum,  
Unde redit miseris GLORIA, VITA, SALUS.  
10 Ingratus CHRISTUM ligno defigit Apella,  
Hinc dantur tumulo mortua membra dato.  
Exultant hostes, vigilesque tremendo subornant,  
Cuncta putat recte facta maligna cohors.  
Tertia sed cum lux oritur, tunc ecce resurgit,  
Atque Triumphator viridus ille redit.  
15 Discipulos moestos firma mox pace salutat:  
INFERNUS victus, MORS, SATANASque simul.  
Nascitur exanimis catulus velut ecce Leonis  
Per triduum vita luce dieque caret;  
Excitat ast tandem genitor fremitu atque tumultu,

- 20            Ut vitulus vivat, membraque firma trahat;  
 Sic CHRISTUS LEO, jam triduum de sanguine Juda,  
               Post mortem exanimis contumulatus erat;  
 Gloria sed summi tandem virtusque Parentis  
               Excitat a letho, tristis Apella tremit.
- 25            O te felicem CHRISTI qui facta celebras;  
               Sic Patriae acceptus! sic Deus ipse favet!

Moris et Honoris E. apposuit  
 HEINRICUS MARTINI KEMNER,  
 Praesidii Dorpat. Pastor.

144. Adr: Jacobus Johannes Taube – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in felix novi anni auspici-  
 quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 4. die Januarij, anno Christi 1638.  
 publice /.../ habebat Jacobus Johannes Taube, /.../ - Dorpati, 1638: Typ. acad.) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Nobilissimo atque Doctissimo*  
*Dn. PERORANTI.*  
 IACOBUS–IOHANNES **TAUBE** /  
*Per Anag.*  
 AH! IN BONO, AC JESV, BEATVS.

- Nobilis esto ortu! sic esto Nobilis Arte!*  
*Esto pijs conatibusque Nobilis!*  
 Nobile delictum, sic de te arbitria dico,  
*AH! IN BONO, AC JESV, BEATVS unice es.*
- 5            *Sit faustum et felix! Arbitria Nomina dicunt,*  
               *AH! IN BONO, AC JESV, BEATVS unice es.*

Quod animitus prec.  
 LAVRENTIVS LVDENIVS, PH.  
 et J. V. D. ac Professor.

145. Adr: Jacobus Johannes Taube – Aut: Guilielmus Ulricus (Junior) (cf. 143) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Pvlcre conveniunt ipsum cognomen et omen,  
               **TAUBE**/ tuum, Patriae spes generosa domus.  
 Nam velut alta petit volitando Columba locorum  
               Innumeras et aves dotibus exuperat:
- 5            Alta perorando docte, sic sidera vibras  
               Et multos vincis dotibus ingenij.  
 Perge perorando volitare per ora Virorum  
               Clarorum: credas, proderit ille labor.
- GVILIELMVS VLRICVS Junior.

146. Adr: Jacobus Johannes Taube – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 143) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Grande decus Juveni, tersae pollentia Svadae,*  
*Quem Genus et virtus Nobilitate probant.*  
*Grande decus Juveni, fandi normata venustas:*  
               *Cui faciem et mores finxit honora Venus.*
- 5            *Non, quod utrumque tibi tua det natura, negabis;*  
               *Hac polles gemina dote cuique tua.*

*Pictum oculis, fulsumque coma, roseumque labellis*  
*Nirea, vel formae dotibus exuperas.*  
*Nobilium gemuit generosae stirpis Avorum*  
 10 *Inclyta TAVBiadum te genitura Patris.*  
*Hinc tua congeminet VIRTUS tibi Nobilitatem,*  
*Nobilitet formae mens studiosa decus.*  
*Pergas Pegasei svaves haurire liquores*  
*Fontis, Gorgonei et dia fluentia vadi.*  
 15 *Grande decus TIBI erit tersae pollentia Svadae,*  
*QVEM Genus atque Venus Nobilitate probant.*

Hisce Nobiliss. Dn. Contubernali  
 congratulatur  
 JACOBVS LOTICHIVS  
 Rig. Livonus.

147. Adr: Adrianus Verginius – Aut: Johannes Fabricius (Dissertatio theologica, qua demonstratur Deum nec per se, nec per accidens esse causam peccati. /.../ in Regia Livonum /.../ Academia sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ publice ad ventilandum proposita ab Adriano Verginio /.../ Moderatore. /.../ die 28. Septemb. – Dorpati Livonorum, 1638: Lit. acad.)

EAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ad Ornatiss. et Literatiss. Dn. Respondentem*

Linque focus patrios. Patriae quem claustra tuentur,  
 Non sua Mens animat; Mens ignoa, solis adaucta  
 Igne suos urget motus; Ingloria, terrae  
 Fixa jacet: Terram cordatus quaerit et Vrbem  
 5 Orbe beat. Sic est. Quin Frater Amice, volentes  
 Nos juvat exilium. Sed paupertate litata,  
 Servitium fugimus. Qvanquam Pomerania terra  
 Sub truce Marte graves patitur sub pondere lapsus,  
 Vt sua dona neget nobis, sumptusque priores  
 10 Promere non valeat. Verum Patientia duris  
 Gaudet: et est animus, modo paupertatis acutus  
 Cote, litans Phoebo; felix et amore beatus  
 Famae: quam Pallas Livoni Regia Pindi  
 Conciliat; magno sed quae favet empta labore  
 15 Nobis, qui famam conquirimus. Inde resurget  
 Gloria, qvam sequitur Promotio. Di MELIORA!  
 Ergo operare Bonae Divae. Virtutis Amator  
 Ille, virile sui cerebrum. Sed regia scande  
 Pulpita; Calvinii confringe sophismatis hastam  
 20 Sic pia promotum TE fama manebit in aevum.

Fraterno suo Affini adijcere voluit  
 JOHANNES FABRICIUS, Neo-Trebetao  
 Pomeranus S.S. Theol. Stud.

148. Adr: Adrianus Verginius – Aut: Hermann Schwemler (cf. 146)

EAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Sic ADRIANA Thetis fert Euro e sedibus imis*  
*Obscoenum coenum: Sic, ADRIANE, fugas*  
*Haeresiarcharum coenum, Euro Flaminis, iusta*  
*Littora prora tenet, mellea littus habet.*



Suo contubernali approp.  
Hermannus Schwemler LL. St.

149. Adr: Adrianus Verginius – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 146)

EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*ADRIANVS VERGINIVS*  
Per ἀναγκασμᾶτισμῶν  
*ES VIR ARDVVS. IN AGNI*

Dum dubijs contorta plicis, ADRIANE, refellet  
Haesiarcharum dogmata, dogma tuum:  
Criminis ostendit Majorum quod sit origo  
Non DEUS, ast Daemon, decipiendo viros.  
5 Hic nil CAUSA valet CAUSATI; calva putator:  
Hautque valent quicquam spicula missa tibi.  
ARDVVS ES VIR, et ARDVVS en Hagiographa volvis,  
ARDVVS ES scriptis, ARDVVS in cathedris.  
ARDVVS IN sancti sis AGNI nomine Christi;  
10 ARDVVS INque AGNI sanguine salvus eris.

Properanter promebat  
Jacobus Lotichius Riga-Liv.